Wiener Stadt-Bibliothek
6340 B
Q 0299




N. B. Belau delin. et J. A. Schmuzer c. u. v. sc.

WIENER STADT

Neob. Coll. Schindelb. inſcriptus 1730

# VELLUS AUREUM BURGUNDO-AUSTRIACUM

*SIVE*

Auguſti & Celeberrimi Ordinis

TORQUATORUM AUREI VELLERIS

EQUITUM

Fidelis & ſuccincta

RELATIO HISTORICA

SERENISSIMO SABAUDIÆ ET PEDEMONTII

DUCI

# EUGENIO

Supremo Cæſareæ Militiæ

ARCHISTRATEGO,

Humillimè conſecrata

*A PRÆNOBILI AC DOCTISSIMO*

DOMINO

PAULO ANTONIO GUNDL,

Auſtriaco Viennenſi AA. LL. & Phil. Magiſtro

Dum

*Sub optatiſſimis ejuſdem Sereniſſimi Principis Auſpiciis*

Poſitiones ex Univerſa Philoſophia

IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VIENNENSI

*Publicè defenderet*

*EX PRÆLECTIONIBUS*

R. P. SEBASTIANI INSPRUGGER

AA. LL. & Phil. Doctoris, ejuſdémque Profeſſoris Emeriti, ac p. t. Senioris & Conſiſtorialis.

Anno M. DCC. XXVIII. Menſe Die

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Wolffgangi Schwendimann, Univerſitatis Typog.

*SERENISSIMO*

# PRINCIPI EUGENIO FRANCISCO

SABAUDIÆ ET PEDEMONTII

DUCI

MARCHIONI SALUTIARUM

AUREI VELLERIS EQUITI

Sacræ Cæſareæ Catholicæq; Majeſtatis Actuali
Intimo & Conferentiarum Conſiliario
*Conſilii Aulico-Bellici*

PRÆSIDI

Generali Cæſarei Exercitûs

LOCUMTENENTI

Ejuſdémque Majeſtatis Cæſareæ nec non
Sacri Romani Imperii

CAMPI-MARESCHALLO

*Legionis Deſultoriorum Equitum*

TRIBUNO

Ac Hæreditariorum Cæſareæ Catholicæque Majeſtatis
in Italia Regnorum ac Provinciarum

GENERALI VICARIO.

# SERENISSIME PRINCEPS.

IPſa heroi vultûs Tui, *quâ infimos quosque, pro innata magnitudini* Tuæ *Comitate, dignari ſoles, Serenitas ſperare me jubet*, Te *animo haudquaquam averſo ſuſcepturum qualeſcunque has, quas* Sereniſſimo nomini Tuo *inſcribi paſſus es, paginas. Tametſi enim hæ nec laureatos ſudores* Tuos, *quos in* trium Maximorum Cæſarum, *totiúsque Chriſtianæ Reipublicæ, ac Orthodoxæ præſertim Religionis obſequium ampliſſimo ſemper fructu impendiſti, commendant; neque magnificas illas clariſſimásque, quas de tot hoſtibus ſecundo ſemper Marte retuliſti, victorias memorant; nec triumphos immortalibus æternitatis faſtis inſcribendos recenſent; nec denique Trophæum ullum* Sereniſſimo nomini Tuo, *per omnes latè terrarum omnium fines ſecundiſſimis ubique famæ præconiis celebrato, erectum continent; non ideò tamen omni penitus favore* Tuo *indignas comperies. Ejus ſiquidem Ordinis* Relationem Hiſtoricam *complectuntur, cui inſeri non niſi heroës ſtirpe pariter & famâ geſtiſque inclytos fas eſt; & cujus* Tu *quoque* pars & pretioſa & Illuſtris & Magna *es. Utpote qui dudum ob immortalia decora in*

ſodalitium iſtud Clariſſimorum heroum adlectus, dubium æquis rerum Tuarum arbitris reliquiſti: plúſne Ille Tibi honoris decoríſque contulerit, an Tu Illi ſplendoris.

Et verò peculiari quodam providentis omnia Numinis Conſilio factum exiſtimo, ut Tu præcipuè, Princeps Sereniſſime, in Auguſtum hoc Nobiliſſimorum Aurei Velleris Equitum Collegium adlegereris, atque ille Torques, quem & igniarii ſilices, & calybes excuſſorii, & emicantes inde flãmæ (genuina heroæ mentis ſeſe identidem ad facta grandia excitantis ſymbola) pulchro nexu diſtinguunt, heroo Tuo in pectore effulgeret. Tu ſiquidem vel ex hoc etiam ipſo Torquis hujus flammas & ignem referentis indicio, atque ex inſignibus, quibus barbaros domuiſti, cladibus, jam inde à primis accreſcentis feralis illius Ottomanicæ Lunæ initiis cœlitus fuiſſe deſtinatus videri potes, qui immania ejus cornua frangeres, ſplendorémque univerſo Chriſtiano Orbi inviſum emicantiori armorum Tuorum virtutíſque bellicæ fulgore retunderes. Ac proinde ad Te celebrem illam Aſtolgandi Vatis Colchici prædictionem magnopere reſpexiſſe non ex vano conjicimus, qua quondam Joanni Nivernenſium Duci Philippi Boni, ſodalitii hujus inſtitutoris, parenti inter Turcas captivo vates hic (ſi Albino, Charioni & Lazzio credimus) Principem olim aliquem, qui Ignem geſtâſſet in pectore, Turcarum Imperium ſubverſurum, prædixerat. Et ſanè vaticinium iſtud magna jam ex parte Virtute Tuâ completum læti omnes gratulantéſque conſpicimus; dum feroci barbarorum tyrannidi, quæ & Hungariæ & Germaniæ & Italiæ, & Chriſtianitati univerſæ extremum ferox minabatur exitium, non modò, ut ne ultrà progrederetur, obſtitiſti fortiſſimè; ſed & hoſtem hunc omni armorum apparatu inſtructiſſimum, viris & viribus præpotentem, victoriis alibi relatis tumidum, ac immenſo, eodémque florentiſſimo, ducentorum atque ampliùs millium exercitu ſuâ quidem opinione invictum & patenti in campo ſemel ac iterum aggreſſus ſuperâſti feliciter, & munitiſſimis caſtris validiſſimíſque mœnibus abditum non ſine maxima ſuorum clade exturbâſti. Longum ac ſupervacaneum foret pal-

mas

*mas omnes, quas univerſus Orbis incredibili Chriſtianæ religionis commodo retuliſſe* Te *de hoſte hoc prædicat, ſingillatim referre. Inſignis* ad Zentam *victoria* Tuo *ductu relata, quantum Chriſtianæ rei compendium attulit! quantum & tumoris, & virium Muſulmannis ademit! quàm ſubitò barbaros animos ad mitiora pacis conſilia flexit! quâ* Auguſtiſſimæ *rurſus* Domui Auſtriacæ, *non ſine acerbiſſimo ſenſu, reſtituere* Hungariam ferè omnem Daciámque *compulſi ſunt. Atque cùm ſubinde, recrudeſcente ex erepta ſibi tam opima præda dolore, non expectato induciarum fine, immenſis iterum exercitibus inundarent Sclavoniam, quid? an non* Eundem *adhuc* Eugenium *Cæſareis præeſſe exercitibus* ad Petrovaradinum *triginta millibus ſuorum cæſis, cæteris omnibus in fugam datis experti ſunt?* Temeswarinum *deinde, firmiſſimum illud mediis in paludibus* Ottomannicæ Portæ *præſidium quâ felicitate poſt minimè longam obſidionem receptum? Ad* Taurunum *denique alteram noſtri ſæculi* Trojam, *quàm incredibilia* invictæ Fortitudinis Tuæ *documenta dediſti! dum obſideres ſimul & obſidereris ab hoſtibus; indéque frontem obſeſſis è mœnibus: tergum inde è barbarorum obſidentium caſtris: rurſúmque latera ex hoſtilium navigiorum claſſe geminâ, nuſquam intermiſsâ fulminantium tormentorum procellâ, impeteretur is, cui præeras, exercitus* Cæsaris: *cui ſic undique ab hoſtibus clauſo ne evadendi quidem, nedum vincendi, eſſe ſpes poterat, nisì* Tu *adfuiſſes. At verò* Te Duce *non ſperata duntaxat, ſed & obtenta eſt ſalus, & diſcuſſum periculum, & cæſis profligatisque tot hoſtium millibus, in effuſam fugam immenſus ille Chriſtiani nominis terror præcipiti rerum ſuarum deſperatione abactus eſt; ceciditque unà ingens illud* barbaræ ſpei columen, & Ottomannicæ Portæ Clavis Taurunum.

*Nec jam longè ab ipſo hoc* Portæ *limine victrices hodie* per Te *Aquilæ clangunt; quando omnem, cis Alutam flumen, Valachiam; & Temeswarienſem Banatum omnem; & univerſum Belgradenſe ac Semendrienſe gubernium; & Boſniæ ripenſis tractum non modicum, hoſtis ultrò victrici* per Te Cæsaris *Fortu-*



*næ,*

*næ, Romanæque Religionis Sanctitati ſubjecit. Adeò ut totis his tribus, quibus nobiliſſimus hic* Aurei Velleris Ordo *ſtat, ſæculis neminem unum Chriſtianum heroëm reperiamus, quo Duce aut clades plures ſimul ac graviores jurato huic Chriſtiani nominis hoſti illatæ ſint; aut ampliora his barbaris, in quos præſertim hic Ordo eſt conditus, terrarum fertiliſſimarum ſpatia ſint adempta.*

*Ac proinde mirari non debes, quod* Tibi *potiſſimùm, quem (ut cætera incomparabilis* Virtutis Tuæ *prodigia, quibus & Hannibales & Scipiones* Tu *æquas, venerabundo ſilentio admirans prætercam) ob hanc ipſam immortalium geſtorum amplitudinem de* Auguſtiſſimo Cæsare, *de communi Republica, de totius Chriſtianitatis ſalute, déque Eccleſiæ Orthodoxæ, quam præprimis* Nobiliſſimum hoc Equitum Sodalitium *reſpicit, exaltatione tam magnificè eſſe meritum noveram, conſecrandam compendiariam hanc* Ampliſſimi hujus Ordinis Hiſtoricam Relationem *exiſtimârim: utpote cui ex ipſo hoc* Sereniſſimi nominis Tui *ſplendore lucis præterea plurimùm acceſſurum ſciebam. Et verò tempus ipſum monebat, ut hoc* Tibi *argumentum potiùs, quàm aliud quodvis deferrem. Cùm enim tertium ab inſtituto* Clariſſimo hoc Ordine *ſæculum uno duntaxat à meta anno nunc abſit; æquum erat populo ſæcularia tam illuſtris inſtitutionis ſolemnia ſpectaturo hac qualicunque* Ampliſſimi Ordinis *explanatione tantiſper antè, ad parem inſtituto tam nobili exiſtimationem admirationémque concipiendam, præire. Quod dum ſequentibus paginis præſtare connitor, me ſimul meámque Philoſophiam vitámque omnem & ſtudia infimis* Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ *obſequiis ſubmiſſiſſimâ extremæ venerationis conteſtatione æternùm dedico conſecróque*

SERENISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

*Devotiſſimus æternùm Cliens*

Paulus Antonius Gundl.

# Præfatio ad Lectorem.

TRes cauſæ ſunt, ob quas præmonitum Te volui, Lector Benevole: primùm ut ne ſuccenſeas, quòd in Hiſtoricæ hujus Relationis contextu plano ac ſimplici ſcribendi genere uſus ſum; neque ad tractationem argumenti tam nobilis ulla ſtyli ornamenta adhibui. Illuſtrius ſiquidem mihi argumentum hoc viſum eſt, quàm ut adſcititiis verborum ornamentis egeret, quibus qui illuſtrare ampliſſimum hunc Ordinem cuperet, eorum meritò cenſeri è numero poſſet, qui congenitam ſoli lucem ut augeant, lucernæ lychnum accendunt: magis itaque è dignitate Sodalitii hujus ampliſſimi me facturum putabam, ſi ſubmiſſum ac familiare potiùs ſcribendi genus ſectarer, ut ex ipſo hoc neglecto ſcriptionis cultu nativa tam Illuſtris inſtituti majeſtas tantò clariùs eluceret.

Alterum, quod curam mihi injiciebat, id erat: quod prævidebam fore non paucos, qui parùm appoſitè factum opinarentur, quod ſingulas ſingulorum Ordinis hujus Supremorum icones æri inciſas ſingulis potiùs libri hujus Capitibus præfigere, quàm ad ſubjectam in ejuſdem libri calce eorundem Supremorum vitæ actorúmque epitomen adnectere libuit. Sed enim ita fieri ipſe libri decor ſuadebat, ut æquis potiùs quantum res ferebat, intervallis diſperſæ insererentur hæ ſupremorum Ordinis Capitum effigies, quam ut unum velut in cumulum univerſæ compingerentur.

Poſtremò denique id ſolicitum me reddebat magnopere: ne, ſi quid fortè erroris, in poſtremo præſertim Equitum à ſingulis Ordinis *Capitibus* ſodalitio huic adlectorum Catalogo irrepſiſſet, id negligentiæ aut incuriæ meæ adſcriberetur, qui tamen operam in eo omnem conatúmque adhibui, ut authores, quemadmodum in aliis ad hunc Ordinem pertinentibus, ita & in hac re quam certiſſimos ſequerer. Et verò in iis, qui à Philippo Bono, Carolo Audace, Maximiliano, Philippo Pulchro, Carolo V. Philippo II. ac Philippo III. in hoc ſunt inſcripti heroum Torquatorum Collegium, Dux mihi Joannes Jacobus Chiffletius fuit, qui ſingulorum Aurei Velleris Equitum nomina, gentilitiáque inſignia eo Ordine ex ipſis fontibus, Archivis nempe regiis, ſe accepiſſe teſtatur; in iis, qui à Philippo IV. hoc Torque donati ſunt, Author item illuſtris Joannes Baptiſta Maurice in amplo volumine, cui titulus: *La Blaſon des Armoiries de tous les Chevaliers de l'Ordre de la Toiſon d'Or* mihi præluxit. Eorum deinde Equitum, qui ſub Carolo II. ampliſſimo Ordini huic adſcripti ſunt, Catalogum & Ordinem mihi ſupplementum magni Dictionarii Hiſtorici Ludovici Moreri verbo: *Toiſon d'Or* ſuggeſſit. Qui denique ab hodierna Auguſtiſſima Cæſarea Regiáque Catholica Majeſtate CAROLO VI. hoc ſunt honore ornati, eorum ego nomina cùm ab iis, qui præſentes creationi eorundem Equitum interfuêre, tum ab iis, qui hæc eadem nomina manuſcriptis inſeruêre, accepi. Quoniam tamen evenire, non obſtante quantavis ſolicitudine & ſolertiâ, potuit: ut Equitis fortè cujuſpiam nomen vel non debito collocatum Ordine, vel prætermiſſum penitus eſſet; hinc etiam atque etiam oratum te cupio, ut ſi quem fortè errorem hujuſmodi contigiſſet irrepere, eum Tu pro Tua animi judiciíque æquitate & benevolentia authori ne imputes, cui nihil æquè ac ſinceritas cordi eſt.

# FACULTAS REVERENDI PATRIS
# PROVINCIALIS.

EGo infraſcriptus, per Provinciam Auſtriæ Societatis JESU Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab Admodum R. P. noſtro Michaële Angelo Tamburino, Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut liber, qui inſcribitur: *Vellus Aureum Burgundo-Auſtriacum* à quodam ejuſdem Societatis, & hujus Provinciæ Sacerdote conſcriptus atque ab aliquot ejuſdem Societatis Sacerdotibus lectus & approbatus typis mandetur. Datum Viennæ 25. Junii Anno 1728.

Joannes Baptiſta Thullner.




N.B.Belau del: F.A.Dietell Sc:

# CAPUT I.

## *De Equitum nomine, Dignitate, muniiſque in Romana olim republica geſtis. De Auratorum ſubinde Equitum Origine, exiſtimatione, ritúque in his creandis adhibito. Poſtremò de cauſa & tempore inſtitutionis nonnullorum Equeſtrium Ordinum.*

SOlent pictoriæ artis gnari, cùm opus iis à rerum varietate multiplex, intra brevioris fortè temporis anguſtias perficiendum, obvenit, Conſilio minimè reprehendendo, rudibus ferè lineamentis res cæteras omnes ita adumbrare in tabula, ut tamen in unam quampiam nobiliorem perſonam, aut factum illuſtrius artem omnem & induſtriam non ſine quapiam ambitionis oſtentatione profundant. Id ipſum imitari in præſenti argumento, ſed citra ambitionem, decretum eſt: &, quando varium adeò ac multiplicem Equeſtris gloriæ ſplendorem diſtinctiùs perſequi, ſuíſque ornare encomiis inter tam arctos temporis ad ſcribendum conceſſi limites non licebat; rudi ſaltem brevíque compendio eundem univerſim primùm ac ſummatim adumbrare leviori manu conſtitui, tum verò fuſiori nonnihil & exactiori ſolertiâ partem magnificentiæ hujus Equeſtris præcipuam, ampliſſimum nempe Torquatorum Velleris aurei Equitum Ordinem, è variorum, qui ſparſim eo de argumento ſcripſerunt, authorum libris explanare aggrediar. Atque, ut ne quis fidem fortè deſideret, fontes identidem, è quibus qualiſcunque hæc cognitio hauſta eſt, intento digito oſtendam; ídque tantò ſum accuratiùs, fideliúſque præſtiturus, quantò id mihi firmiùs certiúſque perſuaſum habeo: nulla re æquè lectoris benevolentiam favorémque libro conciliari; quàm ſi ſincerâ, miniméque corruptâ fide, id, de quo ſcriptus eſt, argumentum in eo pertractari cognoverit. Sed miſſis ambagibus ad rem nunc venio.

### §. I.

### *Unde Equitum nomen? quæ Dignitas, muniáque Equeſtris olim Ordinis fuerint.*

EQueſtris honor nomen apud omnes ferè gentes ab Equis aut ab Equitando invenit, ùt rectè obſervat *Franc. Mennen. in ſuis Delic. equeſt. l. 1.* illos ſiquidem, qui eo ſunt honore inſignes, *Cavalieri* Italis, *Cavalleros* Hiſpanis, *Chevalier* Gallis, Germanis *Ritter*, *Equites* Latinis dici audimus quotidie. Ejus porrò honoris, qui præcipuum ſemper virtutis præmium habitus eſt, quíque nonniſi inſignibus virorum fortium meritis operæque, in militaribus ſtudiis diu multúmque probatæ, impendi conſueverat, exiſtimationem ubique gentium maxi-

mam extitiſſe, cum è veteribus variarum nationum hiſtoriis, tum è recentioribus conſtat. Certè enim teſte *Alex. ab Alex. dier. Genial. l. 2. c. 39.* apud Achæos Equeſter Ordo velut præcipuo ſemper munere præcelluit. Capuanis Equitibus is honor à Romanis eſt habitus, ut (quod non niſi viris Illuſtribus ac de re Romana præclarè meritis tribui ſolebat) ob fidem in bello latino reipublicæ ſervatam civitate donarentur. Maximæ quoque celebritatis apud Gaditanos fuiſſe hunc Ordinem Author idem commeminit; apud Cretenſes item eundem, utpote vetuſtate & dignitate præcipuum, maximo fuiſſe in pretio ſcribit. Addítque apud Chalcidenſes aditum nemini ad id honoris fieri conſueviſſe, qui locuples non eſſet: ídque ea fortè de cauſa, quod Equeſtrem dignitatem tueri eos non poſſe exiſtimabant, qui in re tenui, opibus ad id neceſſariis deſtituerentur.

Jam verò apud Romanos ſumma ſemper fuit Equeſtris Ordinis authoritas, &, ut cum Livio loquar, præcipua gloria: Conſtat ſiquidem Equites Romanos nonniſi poſt exacta ſtipendia, obtentámque ex equeſtri militia miſſionem in Ordinem equeſtrem fuiſſe adlectos, eóque loco habitos: ut primùm quidem, quisquis eum eſſet adſcriptus in Ordinem, huic *annuli* ſimul *aurei* publicè geſtandi poteſtas fieret; quo inſigni & ſecernebantur à plebe, & medio, inter hunc & Senatorium Ordinem, loco conſtituebantur. *Tholoſan. Syntagm. l. 14. c. 9. n. 4.* Idémque hic Equitum Ordo, utpote maximis deinde auctus honoribus tantæ amplitudinis vigoríſque eſt habitus, ut Senatorium propemodum videretur æquare; aut certè, quo eum nomine appellare Alexander Severus Romanorum Imperator ſolebat, Seminarium quoddam Senatorum Equeſtris Ordo videretur, ùt habet *Lamprid. in vita Alex. Sever.* Et certè cùm ejectis urbe Tarquiniis depulſóque regio metu in libertatem ſe Roma vindicâſſet; Brutus ille, quo nemo Romanorum eſt in faſtis celebrior, primus ex Equeſtri Ordine Senatum ſupplevit trecentis delectis, quorum conſilio & authoritate niteretur reſpublica. Lapſis ſubinde temporibus Cajus Gracchus Caji Tiberii frater, nec multò pòſt M. Livius Druſus tribunusplebis, uberiori compendio, eum aliquando Ordinem cum Senatorio in unum veluti corpus decreverunt confundere. Utque plus dignitatis obtineret; Equites ut in ſenatum venire, & dicere ibidem ſententias poſſent, lege primùm ſacratâ, deinde plebiſcito ſanxerunt. Unde & *Senatores pedarii* appellati ſunt, ùt habet *Varro in Satyr. Menipp.* quòd jus ſuffragii habentes pedibus in ſententiam irent. Quo nomine tamen eos duntaxat ſignificare videtur, qui nondum à Cenſoribus in Senatum adlecti, Senatores quidem non erant, ſed quia honoribus populi uſi jam fuerant, in Senatum cum ſuffragii ferendi jure veniebant. *Vide Cic. ad Attic. l. 1. ep. ult. & Aul. Gell. l. 3. Noct. Attic. c. 18.*

Neque ſatìs Romanis erat, ſenatui æquâſſe hunc Ordinem, niſì eundem ſupra ipſos adeò Senatores extollerent, quod ſanè feciſſe tum viſi ſunt, dum eos, qui ex Equeſtri Ordine adlecti in ſenatum fuiſſent, ampliori plerumque cultu proſequebantur. Atque ut ne judicia, quæ penès ſolos eatènus Senatores fuêre, iſtius tantùm Ordinis eſſent; idem, quem dixi, M. Livius rem ita moderatus eſt, ut æquâ parte in Equeſtrem Ordinem dividerentur: eámque in rem legem promulgavit, quæ multo tempore ſancta & incorrupta permanſit. Ipſæ quin imò Decuriæ judicum, quæ ex equeſtri Ordine deligebantur, mox pluribus diſcretæ nominibus, variæ appellationis honores adeptæ ſunt, dum ex his Decuriis alii *tribuni æris*, alii *ſelecti*, nonnulli *judices* ſunt nuncupati; quibus alii deinde, rurſus à prioribus diverſi acceſſêre, quibus ſcita Suffragiorum in Comitiis cuſtodire negotium fuiſſe Livius tradit. Atque tametſi hi judicum

tum

tum nomina, non equitum, ferrent; Equeſtri tamen Ordini & inter Equites adnumeratos eſſe, extra omnem controverſiam eſt: cùm & annulis aureis uterentur, ùt Equites; & eadem cum his honoris geſtarent inſignia, iisdémque demum muneribus, quibus Equites, fungerentur. Neque tamen exiſtimandum eſt, hæc judicia ad omnes paſſim, qui Equeſtris Ordinis eſſent, pertinuiſſe; ſed ad eos duntaxat, qui ex eo Ordine condecuriabantur, ùt rectè Budæus obſervat ad *lib. ult. ff. de muner. & honor.*

Atque hæc tametſi ſplendida & Equeſtri Ordini in republicâ illâ, orbis dominâ, perquàm honorifica eſſent: non paulò tamen amplior dignitas huic indè acceſſit ad cumulum; quòd multæ eſſent ſub Dominatu Romano Provinciæ, quas non niſì per Equites Romanos, præſidum locò, regi conſueviſſe Scriptores teſtantur. Nam & Cappadociæ & Ægypto & aliis pluribus diu Equites Romani præfuêre; adeò, ut hoc proprium ſibi ac peculiare habere Ægyptus ſit viſa, quòd nemo unquam Senatorii Ordinis eam præſes acceſſerit, dum perpetua quadam ſucceſſione ab Equite in Equitem, per manus quodamodo, transferri ea dignitas videretur. Atque horum inſuper Equeſtris Ordinis præſidum decreta perinde haberi voluit Cæſar Auguſtus, ac ſi Romani Magiſtratus aut Reges aut Conſules Prætorésve illa cenſuiſſent. Quid quod etiam, cùm Imperator jus populo diceret, conſtitutum id fuit, ut Equites cum Senatoribus unà dijudicandis cauſis in conſilio adeſſent; quorum etiam arbitratu jura & controverſias Imperator definiebat. Crevítque & inde Equeſtris Ordinis dignitas, quod ampliſſimum præfecturæ prætorii munus ad Titum usque Veſpaſianum ab Ordine Equeſtri, continuâ ſerie, adminiſtrari Cæſares voluêre. Minimè proinde mirum eſt: Mæcenatem in tantâ apud Auguſtum gratiâ poſitum equeſtri gradu, velut ampliſſimo faſtigio, contentum ad Senatorium tranſire Ordinem nihil quidquam laboràſſe. Denique & *Laticlavus* (veſtimenti genus id erat ſolis duntaxat Senatoribus conceſſum) tametſi paulùm à Senatorio diſtinctus, Equitibus deinde à Cæſaribus, velut præcipuum quoddam honoris Equeſtris ornamentum, eſt traditus. Neque verò cuivis, tametſi ſtrenuo cæterà & forti viro, ad hunc, de quo loquimur, Ordinem patebat acceſſus: Civem eum & fortem eſſe & veteranum oportebat; Quòd nefas ducerent civem novitium, & qui haud ita multò antè civitate donatus ſit, inter equites accenſeri. Cautúmque eſt edicto Tiberii, ne quis in hunc Ordinem adſciſceretur, néve jus aureorum annulorum cuiquam daretur, niſì & ipſe ingenuus & natus ex ingenuo patre avóque fuiſſet, atque inſuper ſeſtertia quadringenta, id eſt, noſtri æris tredecim Rhenenſium millia cum trecentis triginta tribus (quo tum proventu equeſtre peculium definiebatur) in ſuo cenſu haberet. De quibus conſule *Banciroll. rerum memor. part. 1. tit. 53. Alex. de Alex. dier. Genial. l. 2. c. 39. & Bud. loc. cit.*

Et verò momenti plurimum ad juventutis ingenuæ incitamentum attulêre hæc decora; cùm viderent eos, qui in equeſtri militia luculentiora dediſſent virtutis ſuæ documenta, ampliores etiam fidei reipublicæ navatæ fructus, ubi emeriti in urbem rediiſſent, referre. Id quod illis, ſuopte ingenio generoſis, Romanorum Juvenum animis eos addidit ad maxima quæque laudatiſſimáque facinora ſtimulos, cùm & nova indies referri heroæ fortitudinis exempla audirent, & tam magnificis in republicâ præmiis honoribúsque benemeritos ornari conſpicerent; ut mirari propemodum deſinam: his eos allectamentis ad eam ſubinde militarem virtutem adoleviſſe, quam non modò æquare gens nulla, ſed ne audire quidem aut legere, ſinè attonita quadam admiratione tam inauditæ fortitudinis, potuit.

Quamquam non ſola hæc fuêre virtutis in bello exhibitæ ornamenta; ſed cùm

cùm non minùs magnanimos hos militarium animorum ad præclariſſima quæque audenda impetus, quàm ignem, fomentis ſuis ali identidem & ſervari oportere providi induſtriíque exercituum Duces viderent; nihil eorum ſibi negligendum putârunt, quæ ad bellicæ virtutis ſtudium ambitioſos impellere patriæ juventutis animos poſſent. Itaque & ſpolia hoſtium aſſiduè in victorem diſtribuebant exercitum; & agros fundósque peracto bello in benemeritos dividebant; & haſtis puris, tunicis palmatis, armillis, clypeis, vexillíſque eos, qui fortiter feciſſent, coram tota multitudine antea pro concione laudatos donabant. Quin & coronas murales, civicas, caſtrenſes, navales, roſtratas, aureas, aliáque hujusmodi honoris genera invenêre; quibus eos, qui Urbem, caſtra, civémque ſervâſſent; vel primi obſeſſæ urbis muros, vel hoſtilem navim ſubiiſſent; vel obſidione exercitum liberâſſent, Imperatores munerari conſueverant. Atque hæc munera, cùm Equiti juxtà ac pediti communia eſſent; habuêre ferè ſibi peculiare id Equites, quòd *inſignibus phaleris*, *corniculis*, *baltheis*, *torquibúsque* quà aureis, quà argenteis à ſupremo exercitûs Imperatore acceptis teſtatior eorum præclara in bello virtus fiebat: iíſque decorati inſignibus altiorem quempiam inter equites ordinem conſtituere viſi ſunt, *Veget. l. 2.* Hinc decantata illa *cornicularlorum & torquatorum Equitum* nomina paſſim omnibus, qui de Romanâ hiſtoriâ aliquid delibârunt, ſunt nota. Nam & Aſprenas Conſul Torquatus, & Torquatus Aurelius, & Cajus Titus Manlius Torquatus apud *Carol. Steph. in dict. hiſt. verbo: Torquatus.* aliique leguntur, eo tamen inter hos ipſos Torquatos diſcrimine, quòd ii, qui inter auxiliares copias fortiter egiſſent, argenteo plerúmque torque donabantur, ac Simplares dicti ſint; alii contrà & torquem aureum retulerint, & Duplares ſint appellati. *Maſen. in Palæſtr. l. 4. c. 46.* §. 4. *Item Plinius l. 33. c. 2.*

Nec verò apud ſolos Romanos, ſed & apud Gallos id decus in uſu fuiſſe ac pretio, indè licet conjicere, quòd *Torquati* nomen Manlium à torque, quem Gallo hoſti, glorioſè devicto, ademerat, obtinuiſſe *Livius lib. 7. ſcribit.* Neque ab hoc Torquis honore obludere, collatum ab Alexandro Macedone, argenteorum clypeorum decus videtur: eo ſiquidem inſolitæ virtutis inſigni qui ornati fuêre, hos ille honorificâ, ac ex ipſo muneris pretio deſumptâ appellatione *Argyraſpidas* dictos, præcipuo ſemper loco in exercitu habuit.

Quid quod novo inſtituto, quod propiùs ad recentiora hæc tempora congruit, Auguſtalium Equitum centuriam à Tiberio Nerone Cæſare inſtitutam apud *Tacitum lib. 7.* legimus, eámque tantæ dignitatis: ut eidem & filium Druſum & Titum Claudium & Germanicum nepotes ſuos Imperator adſcriberet.

## §. II.

### *Quæ Auratorum Equitum Origo, ac exiſtimatio fuerit, & quis ritus in eorum creatione adhibitus.*

NIhil mirum proinde, ſi his exemplis edoctæ aliæ atque aliæ ſubinde nationes, quò paribus ad virtutem bellicam ſtimulis gentiles ſuos, atque eos præſertim, qui genere majorúmque virtute mortales cæteros anteſtabant, impellerent; ejusmodi quoque equeſtris præſertim militiæ ornamenta repererunt, à quibus omnis prope nobilitas nominíſque magnitudo penderet; adeò, ut, qui nullo etiamnum inter ſuos militiæ baltheo inſignitus eſſet, ei quantalibet generis claritas haud multum in publico honorem exiſtimationémque videretur afferre. Atque adeò ſacroſanctum id erat antiquis, ut ipſos etiam regum filios priùs ſceptro, regnóque haudquaquam dignos judicârint, ac ne regiis quidem men-

menſis adhibuerint, quàm militari honore initiati, equitésque creati eſſent. *Ita Goldaſt. l. 1. de Major. c. 15. n. 9. pag. 40.* Quorum poſterius etiam Longobardis uſurpatum *Paulus Diaconus l. 1. cap. 23.* teſtis eſt; cùm enim Longobardi partâ victoriâ ad proprias ſedes glorioſi revertiſſent, ſuggeſsêre Odvino Regi militiæ Principes: ut Albino filio, cujus virtute, Gepidarum Regis filio in acie cæſo, victores de hoſtibus evaſiſſent, triumphale convivium appararetur; quibus in hæc verba reſpondiſſe Odvinum refert: „ Scitis, minimè apud nos „ uſitatum, ut Regis filius cum Patre prandeat, niſi priùs ab exteræ gentis Re- „ ge arma (equeſtris nempe militiæ ornamenta, titulúmque) ſuſceperit. „ Hoc audito, curantibus continuò Longobardicæ militiæ tribunis, regium filium Thurismundus Gepidarum Rex meritis militiæ inſignibus ac ornamentis cohoneſtavit. De quo vide *Joan. Limn. tom. 2. Jur. publ. Imp. Rom. Germ. l. 6. c. 2.* Eadem apud Arragones conſuetudo: quorum Regibus imperii inſignia capeſſere jus antè non erat, quàm equeſtri eſſent auctoramento decorati; quod de Petro Arragonum Rege, qui ab Innocentio III. Pont. Max. militari baltheo anno 1204. accinctus eſt, *Hieronymus Blanca* teſtatur. Idem de Carolo Magno Albericus Monachus in ſuo *Chron. ad an. 1390.* tradit, dum eum adhuc adoleſcentem eo honore in Hiſpania ornatum his verbis meminit: „ Galafrus, inquit ille, Ami- „ raldus Toleti, illum (Carolum nempe Pipini filium) in pueritia exulatum, or- „ navit habitu militiæ. In palatio Toleti præparata ſunt omnia, ut ſecundùm „ ritum Chriſticolarum Imperatorum miles fieret. „ Ac proinde Reges æquè ac Regum & Principum filii non modò non recuſârunt, ſed maximâ ſemper ambitione honorem equeſtris cinguli baltheíque quæſierunt: atque è terris etiam longè diſſitis ad ejusmodi Principes, Regésque profecti ſunt, quorum tum fama cæteris ferebatur illuſtrior; id quod teſtatum nobis reliquit Gaufridus Toletanus in *appendice ad Hiſtoriam Roderici Toletani*, cujus verba ſequentia adducit Schurzfleiſchius *tit. 58. de Ord. aur. vell.* §. 4. „ Propter glo- „ rioſam famam ſuam (loquitur de Alfonſo X. Sapiente, Caſtellæ Rege) multi „ nobiles (nota: eo titulo etiam Principes, imò & Reges ipſos appellatos tunc eſſe) „ & egregii viri de diverſis mundi partibus veniebant ad ipſum, ut ab eo „ acciperent cingulum militare, inter quos fuit Illuſtris Rex Angliæ, nomine „ Odoardus; Nobilis vir Philippus Imperatoris Conſtantinopolis filius; Abo- „ adilla Rex Granatæ; Nobiliſſimi Infantes: Dominus Philippus; Dominus „ Emmanuel; Ferrandus; & Sanctius, qui poſtmodum in regno ſucceſſit, filii „ Regis Alfonſi prædicti; egregii viri Alfonſus & Joannes, filii quondam incly- „ ti Regis Joannis de Accon. „ (Ptolomaidis in Syria) & interjectis aliis proſequitur: „ Et Rodulfus Comes (tum Landgravius & Princeps Alſatiæ) qui „ fuit poſtmodum Rex Alemaniæ „ & Primus ex Auguſtiſſima Domo Auſtriaca Imperator, quod etiam ex Annalibus Auſtriacis Gerardi de Roo colligi poteſt.

Et quamquam hi, quos adduxi, authores de cingulis ferè ſolùm baltheísque meminerint, indubitatum tamen eſt, non baltheo ſolùm, ſed & enſe præcingi ſolitos eſſe eos, qui equeſtri dignitate à Principibus ornabantur. Ita ſiquidem in pervetuſtis Auſtriæ annalibus à Lazio citatis eſt legere: „ Anno 1104. „ Leopoldus, Marchio Sanctus, gladio accinctus eſt. Anno 1180. Ottacher ex „ Marchione Styrienſi Ducis nomen adeptus eſt eo anno, quo & gladio accin- „ ctus eſt. Anno 1225. Fridericus Dux Auſtriæ & Styriæ conſecrationis enſis „ dignitate Viennæ ſublimatur. „ Rurſus ad annum 1245. ſic habent Annales iidem: „ Fridericus Dux Auſtriæ auro plenus & argento in feſto S. Geor- „ gii 140. juvenes de terra ſua nobiles apud Viennam honorificè donavit gla-



„ dio

„ dio & cingulo militari. „ Quod etiam ex Arnoldi Lubecenſis *Chron. l. 3. c. 9.* colligitur, qui à Friderico Oenobarbo Henricum filium, Cæſarem & ſucceſſorem deſtinatum in magna Principum frequentia militaribus auctum inſignibus ſcribit his verbis : „ Fridericus Imperator (erat is I. hujus nominis) edixit curiam, „ ut filium ſuum, Henricum Regem, militem declararet, & gladium militiæ ſu- „ per femur ejus potentiſſimum accingeret. „ Ita author citatus, cui aſſentitur Stero *in Chron. ad an. 1184.*

Manavítque exemplum idem ad Hungaros, ùt à Geyſa eorum Rege uſu probatum eſt, qui hunc Ordinem à dignitate ſua haudquaquam alienum exiſtimavit; & quo tempore, ad inferendum Auſtriæ bellum, in caſtris is erat, jámque cum hoſte (Friderico I. Cæſare) deſcenſurus erat in pugnam, boni auſpicii cauſâ, accingi priùs in militem voluit, utì vir graviſſimus Otto Friſingenſis in hæc verba teſtatur : „ Rex (de Geyſa loquitur) in prædicto campo (ſcilicet ad Leitam fluvium, qui Hungariam nunc ab Auſtria dividit) „ ad quandam ligneam Ec- „ cleſiam accedit, ibique ab Epiſcopis; nam eouſque in puerilibus annis poſi- „ tus, nondum militem induerat, acceptâ ſacerdotali benedictione ad hoc in- „ ſtitutâ, armis accingitur. „ Ita Otto Friſing. *l. 1. de rebus à Frid. I. Cæſare geſtis. cap. 32.*

His adde Conradum Friderici II. Imperatoris filium, cujus de hac Equeſtri ſolemnitate epiſtolam ad Panormitanos *Petrus de Vinea* refert; ea ſic habet: „ Licèt ex generoſitate ſanguinis, qua nos à primis componentibus natura dota- „ vit, & ex Dignitatis Officio, quæ duorum regnorum nos in ſolio gratiâ Di- „ vinâ præfecit, nobis militaris honoris auſpicia non deeſſent; quia tamen mi- „ litiæ cingulum, quod reverenda ſancivit antiquitas, nondum Serenitas noſtra „ ſuſceperat, die præſentis menſis Auguſti cum ſolemnitate tyrocinii latus no- „ ſtrum elegimus decorandum. „ *Petr. de Vinea l. 3. epiſt. 20.*

Et quoniam de ſolemnitate tyrocinii hìc mentio incidit, haud abs re facturum me arbitror, ſi quæ ea tyrocinii ſolemnitas fuerit, quídve in ea obſervatum à Candidatis ſit, paucis hìc ego retulero. Primùm itaque Francis, qui (ùt ex Salica lege conſtat) formulas ac ceremonias varias in rebus plurimis obſervare ſunt ſoliti, conſuetudo hæc extitit: ut, qui Equeſtrem eſſet recipiendus in Ordinem, ei, præter alia quædam, & diu priùs vigilandum in armis foret, & corpus balneis diligenter lavandum; quo docebant : eos qui Ordinem hunc ſuſcipiunt, corde animóque mundo, ac honeſtis conditionibus venire in numerum militum oportere, ac virtutis causâ nullos labores, moleſtias, vigiliáſque refugere; prudentiâ in ſermone ac operibus uti; imprimìs verò fidem veritatémque colere debere. Inter Anglos, paulò ante Normannorum in Angliam adventum, mos ſanctior *Ignulpho*, qui tum vixit, & à Franc. Mennenio *in delic. Equeſtr. tit. 1. pag. 11.* adducitur, teſte obtinuit, is ſic habet: „ Qui militiæ legitimæ conſe- „ crandus eſſet: veſpere præcedente ad Epiſcopum, Abbatem, Monachum vel „ Sacerdotem contritus de peccatis confeſſionem faceret; & abſolutus, oratio- „ nibus deditus in Eccleſia pernoctaret; in craſtinum rem ſacram auditurus „ gladios ſuper altare offerret; & poſt Evangelium ſacerdos benedictum gla- „ dium militis collo cum benedictione imponeret; & communicatus ſacris Chri- „ ſti myſteriis demum legitimus miles permaneret. „ Tenuítque etiam ſub Normannis aliquamdiu conſuetudo hæc, teſte, apud eundem Mennenium, *Joanne Saliſburienſi in ſuo Politicratico*, cujus ea ſunt verba : „ Inolevit conſuetu- „ do ſolemnis, ut eâ ipsâ die, qua quisque militari cingulo decoratur, Eccle- „ ſiam ſolemniter adeat, gladióque ſuper altare poſito & oblato, quaſi celebri „ profeſſione factâ, ſe ipſum obſequio altaris devoveat, & gladii, id eſt, officii

„ ſui,

„ ſui, jugem Domino ſpondeat famulatum. „ Adde *Petrum Bleſſenſem epiſt.* 94. „ Hodie (ait ille) tyrones enſes ſuos recipiunt de altari, ut profiteantur ſe filios „ Eccleſiæ, atque ad honorem Sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindi-„ ctam malefactorum & patriæ liberationem gladium accepiſſe. „ E quibus teſtimoniis abundè liquet, & animos à peccatis expiari, & noctem in orationibus ac vigiliis agi, & militare ferrum in ara Deo offerri ab iis conſueviſſe, qui militari baltheo præcingi, ſolemnique ritu adſcribi in Equeſtrem Ordinem voluiſſent.

Et verò meminit de his vigiliis teſte ſuprà citato Mennenio *Matthæus Florilegus*: Eduardi I. Angliæ Regis, patris ſui, mandato filium Walliæ Principem cum præcelſis, ùt ait ille, tyronibus vigilias ſuas in Eccleſia Weſtmonaſterienſi egiſſe. Cui ſimile exemplum proferunt *Hieron. Curita* & *Blanca* apud eundem Mennenium, de Ferdinando Joannis I. filio, qui pridie ſuæ in Arragoniæ Regem coronationis, factâ pervigilatione in Cæſar-Auguſtana Eccleſia majori, à Duce Gandiæ baltheo militari accinctus eſt. Vide de hoc ritu *Beſoldum in Theſ. pract. part. 2. fol.* 250.

Cæterùm Reges hæc Equitum creandorum ſolemnia ſingulari ſemper magnificentiâ inſtituebant; exquiſitiſſimóque ipſi cultu ornatúque inſignes in frequentiſſima procerum corona, deducentibus candidatum purpuratis aulæ principibus, dignitatem militarem Equitis conferebant; id quod *Schurzfleiſchius tit.* 58. §. 6. ſequentibus ex hiſtoria minori *Matthæi Pariſienſis* deſumptis verbis confirmat: „ Dominus Rex (loquitur ibi Pariſienſis de Henrico III. Anglorum Rege) „ veſte deauratâ, factâ de pretioſiſſimo Baldekino (panno Babylonico) & „ coronulâ aureâ, quæ vulgariter Girlanda dicitur, redimitus ſedens glorioſè in „ ſolio regio juſſit advocari fratrem ſuum uterinum (Guilielmum) cum ſuis „ ſodalibus quàmplurimis, qui cum eo ſtatim fuerant, arma, prout decuit, faſti-„ gioſè ſuſcepturi. Ipſúmque Dominus Rex cum aliis commilitonibus baltheo „ militari gaudenter inſignivit Anno 1247.

Verùm non eadem ſemper & ubique creandorum Equitum ratio extitit. Meminit enim *Joannes Becanus* Joannis Trajectenſis Epiſcopi & Guilielmi Palatini Comitis Hollandiæ Hiſtoricus, quem *Schurzfleiſchius & Franc. Mennenius locis ſæpe citatis* adducunt: Equeſtrem dignitatem infracto *colapho*, aut *grandi ictu* in collum tyronis impacto, conferri ſolitam. Eam in rem cerimonias, quæ adhibitæ tum fuêre, cùm idem Guilielmus Hollandiæ Comes, in Regem Romanorum electus, more aliorum Chriſtianorum Imperatorum miles (id eſt, Eques) conſecraretur, in hunc modum recenſet *Author Magni Chronici Belgici pag.* 244. apud Piſtorium *inter rer. Germ. veteres Scriptores Sex.* „ Præparatis in Eccleſia „ Colonienſi omnibus, poſt Evangelium ſolemnis Miſſæ, prædictus Wilhelmus „ armiger coram Cardinale productus eſt, per Regem Bohemiæ, dicentem in „ hunc modum: Veſtræ Reverentiæ, pater almiflue, præſentamus hunc electum „ armigerum, devotiſſimè ſupplicantes, ut veſtra Paternitas votivam ejus pro-„ feſſionem ſuſcipiat, quo militari noſtro Collegio dignè adſcribi queat. Do-„ minus autem Cardinalis, in pontificalibus aſſiſtens ornamentis, eidem armige-„ ro dixit; ſecundùm etymologiam ejusdem nominis, quod eſt miles, opor-„ tet unumquemque, militare volentem, eſſe magnanimum, ingenuum, largi-„ fluum, egregium, & ſtrenuum. Magnanimum quidem in adverſitate; inge-„ nuum in conſanguinitate; largifluum in honeſtate; egregium in curialitate; & „ ſtrenuum in virili probitate. Sed antequam votum tuæ profeſſionis facias, „ cum matura deliberatione jugum regulæ priùs audias. Iſta itaque regula „ eſt militaris ordinis, imprimis, cùm devota recordatione Dominicæ paſſionis,

„ Miſſam quotidiè audire: pro fide Catholica corpus audacter exponere: ſanctam Eccleſiam, cum Miniſtris ejus, à quibuscunque graſſatoribus liberare: viduas, pupillos, ac orphanos in eorum neceſſitate protegere: injuſta bella vitare: iniqua ſtipendia renuere: pro liberatione cujuslibet innocentum duellum inire: tyrocinia nonniſi causâ militaris exercitii frequentare: Imperatori Romanorum, ſeu ejus Patricio, reverenter in temporalibus obedire: Rempublicam illibatam in vigore ſuo permittere: bona feudalia regni vel Imperii nequaquam alienare: ac irreprehenſibiliter apud Deum & homines in hoc mundo vivere. Hæc ſtatuta militaris regulæ, ſi devotè cuſtodieris, & pro virili diligenter adimpleveris, ſcias, temporalem te honorem in terris, & poſt hanc vitam, æternam in cœlis mereri. Quibus expletis, Dominus Cardinalis conjunctas manus ejusdem tyronis clauſit in miſſali, ſupra lectum Evangelium, ita dicens: Vis ergo militarem ordinem in nomine Domini devotè ſuſcipere, & regulam tibi verbotenus explicatam, quantum potes, perficere? Cui reſpondit armiger: volo. Et tum Dominus Cardinalis ſubſequentem profeſſionem armigero dedit, quam idem armiger palàm omnibus, in hunc modum legit: Ego Wilhelmus Comes Hollandiæ, militiæ Princeps, Sacríque Imperii Vaſallus liber, jurejurando profiteor regulæ militaris obſervantiam in præſentia Domini Petri ad velum aureum, Diaconi Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis legati, per hoc ſacroſanctum Evangelium, quod manu tango. Cui Cardinalis: hæc devota profeſſio peccatorum tuorum ſit vera remiſſio, Amen. Iſtis itaque dictis, Rex Bohemiæ ictum impegit in collum tyronis ita dicens: ad honorem Dei omnipotentis te militem ordino, ac in noſtrum Collegium gratanter accipio; ſed memento, quoniam Salvator mundi coràm Anna Pontifice pro te colaphiſatus, & illuſus; coram Pilato Præſide flagellis cæſus, ac ſpinis coronatus; coram Herode Rege, chlamyde veſtitus & deriſus; & coram omni populo nudus & vulneratus in cruce ſuſpenſus eſt: cujus opprobria meminiſſe te ſuadeo, cujus crucem acceptare te conſulo, cujus etiam mortem ulciſci te moneo. Quibus ita ſolemniter adimpletis novus tyro poſt dictam miſſam, cum ſtridentibus buccinis, perſtrepentibus tympanis, & tinnientibus cymbalis, contra filium Regis Bohemiæ tribus vicibus concurrit in haſtiludio, & exinde cum gladiis enitentibus dimicationis tyrocinium fecit, celebravítque magnificis expenſis triduanam curiam, ac donis largifluis cunctis magnatibus ſuam manifeſtavit honorificentiam. „ Hucuſque præfatus author, cujus item meminit *Goldaſtus tom. 3. conſtit. Imper. pag. 400.* Utì videre eſt apud *Limnæum tom. 2. Jur. publ. Imper. l. 6. c. 2.* In quo & uſitatum eo tempore creandorum Equitum ritum & religioſam ſincerámque majorum pietatem videre eſt. Et hunc uſum *colaphi* apud veteres Gallos, Germanos, & Bohemos viguiſſe teſtis eſt *Höping in ſuo de Inſign. Tract. c. 2. n. 542.*

His non paulò commodior alter, quíque hodiedum ex parte viget, Equeſtris honoris conferendi uſus invaluit: ut repetito ter, in humeros Candidati, enſis ictu, aureíſque calcaribus pedi, aut alteri tantùm, aut utrique appoſitis, militare decus conferretur. Cujus rei exemplum adducit *Tilius in rebus ſuis gallicis*, & ex eo *Mennen.* narrátque Sigismundum Cæſarem anno 1415. in Martio parlamentum habuiſſe Pariſiis, & liti inter Dominum quendam Peſtellanum & Signellum, de Officio Seneſchalli Belcarienſis exortæ, præfuiſſe. Cúmque ex his Signellus multùm Cæſari commendatus fuiſſet, audirétque eidem ab adverſario objici: Signellum Equitem non eſſe; cum à Cæſare, ut ne hac parte æmulo inferior videretur, adeſſe coràm juſſum cum dicto: ſui juris eſſe, ut faciat Equitem, arreptóque unius è ſuis, qui circumſtabant, Nobilibus, gladio

proci-

procidentis in genua Signelli dorſum ter percuſſiſſe; ac deinde ademptum ſibimet ex aureis calcaribus unum illi induiſſe; ac poſtremò Zonam accinxiſſe, è qua magnus,pro gladio, culter dependebat. Ubi vides & trinæ in dorſum percuſſionis, & aureorum calcarium mentionem fieri. Et verò ex horum præſertim aureorum calcarium geſtandorum jure, Equitibus per hujusmodi creationem conceſſo, *aurati Equites* dici cæpêre, utpote qui ſoli, ùt teſtatur *Claudius Faucbet de Orig. Equitum c. 1. pag. 14.* jus olim habuêre calcaria inaurata ferendi, ceu notam & indicium dignitatis Equeſtris. Quamquam & hic calcarium uſus intermiſſus ſubinde eſt; ubi hæc, ſinè omni diſcrimine, paſſim geſtari ab ipſis etiam fœminis, ſi quando equum iis inſcendere placuiſſet, cæpêre. Itaque majoris compendii ergo ſola dehinc trina in humeros percuſſio ſtricto enſe peragi in hujusmodi ſolemniis vel per ipſos Imperatores, aut Reges; vel per eos, quibus id ipſi commiſiſſent, viros præcipuos cæpit. Id quod *Knipſchilt Tract. Polit. Hiſt. Jur. l. 1. fol. 29. n. 75.* teſtatur, addítque Mennenius in Gallia titulum *Meſſire*, in Anglia *Sir* ſimul cum ipſa Equitis dignitate conferri.

Atque hoc ritu Carolum V. olim Bononiæ in templo S. Dominici; atque etiam Aquisgrani, Belgarum & Germanorum Clariſſimos prægrandi Caroli Magni enſe, à multo vetuſtatis ſitu æruginoſo, Equites creâſſe, teſtis eſt *Höping fol. 105. n. 535.* Rudolphus item Imperator adſiſtentibus Regibus Bohemiæ, Hungariæ, & Poloniæ (quibus ſingulis enſem tradi, Equitum inaugurationi celebrandæ, curaverat) ducentos & ampliùs Equites creâſſe eo ritu, à Cuſpiniano traditur: ut una manu tyronum humeros præfati Principes leviter enſe ferirent, alterâ verò eosdem,humo ſe attollentes,perbenignè exciperent. Solemnem autem verborum formulam in ejusmodi creatione uſurpari ſolitam hanc eſſe, aut huic ſimilem, Mennenius refert: ut invocato Divino Nomine, Divísque Regnorum Tutelaribus, ſtricto enſe tyrones leviter in humerum ſiniſtrum feriant cum dicto: *Sis Eques in nomine Domini, & Surge. Höping de inſign. Tract. c. 2. n. 536.* à qua haud longè abludit formula hodie adhiberi ab Auguſtiſſimis Cæſaribus ſolita, dum cæteris cerimoniis hæc verba ſubjungunt: *Efficiat te DEUS Equitem bonum & honorabilem in honorem Domini & Sancti Andreæ* aut *S. Georgii*, ut adducenda ſequentibus paginis exempla docebunt.

## §. III.

### *Quæ Equeſtres Nobilium virorum Ordines inſtituendi cauſæ extiterint, & quo tempore varii ex his Ordines conditi ſint?*

NEc verò quemquam ad Equeſtris Ordinis dignitatem admitti fas erat, qui nobili non eſſet genere ortus; nam, ut *Moreau, author Gallus à Limnæo Tom. 2. Jur. Publ. l. 6. c. 2.* citatus ait: „Principalis qualitas requiſita in eo, qui „Eques fieri cupit, eſt nobilem eſſe nomine juxta ac gentilitiis inſignibus, at„que inſuper ſinè reprehenſione; nam ſi (ùt ait ille) homo plebeus obtineret „dignitatem Equeſtrem per ſubreptionem; degradaretur cum ignominia, & „decuterentur illi calcaria ſupra fornacem.„ Atque hanc ipſam ob cauſam ait recuſatam â quodam milite oblatam ſibi ab Imperatore Barbaroſſa dignitatem Equeſtrem, quod diceret, ſe ignobili eſſe loco prognatum. Addit *Claudius Faucbet de Origine Eq. c. 1. pag. 13. & 14.* nobilitatem hanc ex parte patris juxtà ac matris requiri. Quinimò ex *Protocollo Electionis Regis Maximiliani*, quod extat apud *Goldaſtum* in Politiſchen Reichs-Händlen *pag. 10. tit. 5.* colligitur: neminem creari Equitem ab Imperatoribus Romanis potuiſſe, qui nobilis à quatuor paternis æquè ac maternis avis non eſſet. Atque hæc, ùt opinor, cauſa


exti-

extitit, cur in legibus torneamentorum Henrici I. Cæſaris cautum ſit; ne quis, qui à parentibus nobilibus prognatus non ſit; quíque ſuam nobilitatem à quatuor avorum natalibus docere nequeat, ad Equeſtres hos ludos admittatur; in quibus & virium ſuarum periculum faciebat nobilitas, & ad ampliorem militaris fortitudinis gloriam comparandam ſe exercebat; ùt refert *Franc. Modius in Pandect. triumphal. tom. 2. l. 1. & Knipſchilt. in ſuo tract. Polit. l. 1. c. 8. n. 52. Petr. Triz. de Nobilit. concl. 20.* Quæ res cùm obſervata ab Imperatore Sigismundo Romæ in creatione Equitum non fuiſſet; Equites illi, Romæ poſt ejusdem Cæſaris coronationem creati, in torneamento Norimbergæ anno 1433. admiſſi non ſunt, ùt ex Andr. Ratisbonenſi in Chron. Bav. refert *Freher.* ad Petr. de Andlo *de Imper. Rom. l. 1. c. 6. fol. 183.* & ex hoc Knipſchilt *loc. cit.*

At cùm progreſſu temporis alii ſubinde atque alii nec avitâ ſtirpe nec militari gloriâ clari ſolo gratiæ opúmve intuitu paſſim magnifico illo atque uni antehac virtuti meritísque inſignibus tribui ſoluto Auratorum Equitum titulo inſigniri cœpiſſent, ùt de Gallis *Tholoſan. de Repub. l. 3.* de Anglis *Raimundus Montanerius*, de aliis Authores alii ſcribunt. Atque ita quantò magìs indies augebatur Equitum numerus, tantò magis is honor vileſceret; aliam inire rationem ornandæ virtutis meritorúmque inſignium, à præcipua præſertim nobilitate in rempublicam profectorum, Magni Principes Regésque cæpêre; Sodalitiáque & Societates præclaro quopiam decoróque inſigni diſtinctas condidêre; in quas, utpote certo perſonarum illuſtrium numero circumſcriptas, aditus nemini, præterquam viris à ſtirpe nobiliſſimis, optiméque de republica, déque Principe meritis pateret. Ejusmodi fuêre:

Ordo Equitum S. Salvatoris in Arragonia, ab Alfonſo Rege Navarræ, Arragoniæ, Legionis, Caſtellæ, & Toleti anno 1118. conditus teſte *Franc. Mennen. in Delic. Equeſtr. pag. 85.*

Ordo Equitum S. Jacobi à Florentio Comite Hollandiæ, in eadem Hollandia 1290. erectus. Vide *Hubert. Miræ. orig. Ord. Equeſtr. l. 2. c. 13.*

Ordo Equitum Annunciationis Angelicæ in Sabaudia, ab Amadeo IV. an. 1310. inſtitutus. Vide eundem *l. 2. c. 4.*

Ordo Equitum S. Georgii (quem vulgò Garterii nuncupant) in Anglia ab Eduardo III. fundatus anno 1350. aut 1344. vide eundem. *c. 3.*

Ordo Equitum S. Stephani, cujus in Etruria author fuit Coſmus Medices Florentiæ & Senarum Dux an. 1351. vide *Fr. Mennen. loc. cit. pag. 185.*

Ordo Equitum Stellæ, qui ortum ſuum in Galliis debet Joanni Valeſio Galliæ Regi 1352. *Coronell. in Ord. Equeſt. n. 110.*

Ordo Equitum S. Antonii apud Hannonios, quem inchoavit Albertus Bavarus 1382. *Idem n. 7.*

Ordo Equitum Columbæ à Joanne I. Rege Caſtellæ an. 1390. cæptus. *Gryphius in ſacr. & profan. Ord. n. 66.*

Ordo Equitum Argonautarum Inſtitutore Carolo III. Rege Neapolis an. 1383. *Gryph. in ſacr. & profan. Ord. n. 23.*

Ordo Equitum Hiſtricis erectus à Ludovico Duce Aurelianenſi an. 1393. *Idem n. 29.*

Ordo Equitum Elephanti in Dania circa annum 1400. *Idem n. 46.*

Ordo Equitum Lilii apud Arragonios à Ferdinando Arragonio an. 1403.

Ordo Equitum Squamæ Authore Joanne II. Caſtiliæ Rege an. 1420. *Coron. loc. cit. n. 102.*

Ordo Equitum aurei Velleris à Philippo Bono Duce Burgundiæ an. 1430. *Jul. Chiflet. in Brev. Hiſtor. hujus Ord.*


In hoc signo
Ante ferit
quam flama micet.
Hic Philippus est hujus nominis Dux Burgundiæ Tertius,
Uniti Belgij Princeps Primus:
Quem Fortuna ùt Bonum Virtus ùt invictum Principem coluit,
Orbis ùt alterum Sui Sæculi Jasonem suspexit.
Qui Nobiliſsimi Ordinis Aurei velleris Conditor,
Illud majori gloria Burgundiæ intulit, quàm è Colchide extulit alter.
Ac ut heroos Nobilium animos ad Virtutem accenderet,
Aureas eorum pectori Scintillas in Suo torque admovit:
Quæ dum illos inflamant ad gloriam,
Hunc pariter ad famæ immortalitate illustrant.

Ordo Equitum Spicæ à Franciſco I. Britanniæ Armoricæ Duce an. circit. 1450. *Coronell. loc. cit. n. 104.*

Ordo Equitum S. Michaëlis in Gallia à Ludovico XI. an. 1469. *Buſſer. l. 13. hiſt. Franc.*

Ordo Equitum Crucis Burgundicæ in Regno Tunetano Inſtitutore Carolo V. Cæſare. *Gryph. loc. cit. n. 48.*

Ordo Equitum S. Spiritûs ab Henrico III. Rege Franciæ conditus anno 1579. *Gryph. loc. cit. n. 49.*

Ordo Equitum S. Andreæ in Moſcovia authore Czaaro Petro Alexiewiz an. 1698. *Idem n. 65.*

Ordo Equitum Aquilæ nigræ in Pruſſia inſtitutus à Friderico Rege 1701. *Idem n. 66.*

Ordo Equitum Aquilæ Albæ in Polonia erectus à Rege Auguſto 1705. *Idem n. 68.*

E quibus unum ego mihi, ùt reliquorum Ordinum omnium longè præcipuum, ita prolixiori calamo & cognitione pleniori digniſſimum Aurei Velleris Equitum Ordinem deſcribendum his, quæ ſequuntur, paginis ſumpſi.

# CAPUT II.

## *Quis celeberrimi Ordinis Aurei Velleris Author extiterit, quod tempus inſtitutionis, ac locus; & unde* Aurei Velleris Equitum *appellatio ſit deſumpta?*

### §. I.

### *De Authore, tempore & loco inſtituti hujus Ordinis.*

QUod in aliis paſſim argumentis hiſtoriam temporum, à memoriâ noſtrâ paulò remotiorum, ſpectantibus accidit; ut perrarò ita inter ſe omnes concordent Scriptorum ſententiæ, ut non aliqua inter eos reperiatur opinionum diſſenſio; id in præſenti quoque materia evenire aliqua ratione videmus. Utut enim extra omnem controverſiam argumentis certiſſimis conſtet, Philippum III. Burgundiæ Ducem, qui ab inſigni benignitate (a) cognomentum *Boni* obtinuit, hunc ampliſſimum Aurei Velleris Ordinem inſtituiſſe; non deſunt tamen, qui hujus tam nobilis inſtitutionis honorem in Philippi Patrem transferre nitantur. Certè enim Albinus in Chronico ſuo Miſnenſi *tit. 18. pag. 464.* ùt à Limnæo citatur, & cum eo Joannes Carion itidem *in Chron. fol. 1198.* Joannem Nivernenſem Caroli VI. Galliarum Regis patruelem, eundémque Burgundiæ Ducem Ordinis hujus Authorem conſtituit; eúmque, litro à Jacobo Mytilenarum Principe perſoluto, è turcica Bajazetis captivitate libertati redditum, ubi in patriam revertiſſet, hanc ſocietatem erexiſſe ait: quæ igniarios calybes ſilicéſque ex auro in torquem efformatos geſtaret; addítque aureum illi vellus appendiſſe in perpetuam ſuæ in regione Colchidis, unde Jaſonem id olim rapuiſſe ferunt, captivitatis exactæ memoriam. Et quoniam in eadem Colchidis regione S. Andreas Apoſtolus Chriſtianæ olim fidei doctrinam diſſemînâſſet; eâ de causâ ita inter ſe in prædicto torque præfatos calybes junxiſſe hunc aſſerit, ut iidem formam Andreanæ Crucis referrent; memorem adhæc eundem fuiſſe vaticinii, quo ab Aſtrologo quodam audierit: „ Eum Principem de turcis relaturum victoriam, qui ignem geſtâſſet in pectore. „ Par quoque eſt opi-

opinio Lazii *in comment. Geneal. Auſt. l. 1. c. 8. fol. 147.* qui Joannem intrepidum Philippi Parentem fuiſſe authorem, eúmque primum omnium hunc Ordinem animo concepiſſe tum, ſcribit; cùmPruſiâBythiniæ urbe,è captivitate turcica (in quam infelici ImperatorisSigismundi contra Amurathem, imò contra Bajazetem, Amurathis Orchani filium, prælio anno 1396. 28. Sept. inciderat) Jacobo Mytilenarum Principe 20000. aureorum lytrum pro eodem ſtipulante, rediiſſet. Subjungit deinde idem Aſtrologi, quem Aſtolgandum appellat, vaticinium, quo à Principe, *qui ignem in pectore tuliſſet*, Imperium turcicum evertendum prædixerit. Scribítque à Burgundo, id omen ad ſe trahente, Ordinem hunc primò animo conceptum, ſubinde verò poſt reſtitutam libertatem, inſigni liberalitate, devotionéque inſtitutum fuiſſe.

Sed enim adeò ſingularis hæc Albini Laziíque opinio eſt, ut meritò explodenda videatur: tum quod & aliàs in multis hallucinatos eſſe authores hos conſtat; tum quòd nemo unus aurei velleris Eques ante annum 1429. creatus reperiatur: cùm tamen Joannes intrepidus Philippi Parens, ùt ex *Haræi Annal. Duc. Brabant. pag. 390.* aliísque paſſim hiſtoricis certum eſt, 10. Sept. an. 1419. Monteravi juſſu Caroli Delfini ſit cæſus; tum quod authores, præter hos, omnes (qui quidem de Aureo Vellere quidpiam ſcripſère) Philippo Bono inſtitutionem hanc tribuant. Idque & ex ipſis Ordinis hujus regulis ſeu Conſtitutionibus, atque ex Bulla Leonis X. Pontificis, ad Carolum V. anno 1556. Kal. Octobris data, manifeſtè patet; cujus verba ſubjicio: „ Philippus Dux „ Burgundiæ piè ductus ad Omnipotentis Dei laudem - - Societatem nobilium „ militum ſub titulo ſeu denominatione Ordinis aut militiæ Aurei Velleris - - „ inſtituit & ordinavit.

Nec verò Guthberletus hîc obſtat: quamquam enim *in ſua Chronol. fol. 89.* Carolum Burgundiæ Ducem mirificè delectatum eſſe Jaſonis fabulâ, ejúsque exemplo incenſum maximarum rerum cupiditate flagrâſſe, ideóque ſocietatem inſtituiſſe ſcribat, cujus ſymbolum eſſet *Aureum Vellus*; ſuum tamen errorem ſatis ipſe refellit, dum in *eodem opere fol. 492.* hujus Ordinis authorem Philippum conſtituit.

Certum proinde & indubitatum eſt: nobiliſſimi hujus totóque orbe celeberrimi inſtituti gloriam uni deberi Philippo III. Burgundiæ Duci, quem inſignis benignitas pietásque cognomento *Boni*, fortuna & virtus bellica *Conditoris imperii Belgici* titulo decoravit; utpote qui Flandriæ, Arteſiæ, & Hannoniæ, quas Provincias à Patre acceperat; Brabantiam, Luxemburgum, Hollandiam, Zelandiam, Friſiam, Namurcum, aliásque ſubinde Germaniæ inferioris Ditiones paulatim adjecit, atque unum in corpus magna felicitate conjunxit. Vide *Aubert. Miræ. de orig. Equeſt. Ord. l. 2. c. 1.* & *Imhoff. in Notit. Imper. l. 1. c. 7.* Singularem hujus Principis pietatem à præclara in Superos munificentiâ, celeberrimus ille Juſtus Lipſius *in Diva Virgine Hallenſi c. 35.* commendat his verbis: „ Philippus jure ſuo *Bonus* huic Divæ quàm addictus! docent monumenta, „ quæ affectûs & cultûs ſui reliquit. Primo ipſius Virginis ſtatua grandiuſcula „ in media ara poſita, auro puro inducta, filium brachio uno præfert, altero flo„ rem Lilii inauratum. In pectore monilis vice ſunt uniones ſex, puri, grandes: „ & in eorum medio Carbunculus ſive Pyropus lapis, quem Rubinum nos à „ colore vocamus. At in capite corona auri puri. Sunt deinde in eadem ara „ duodecim Apoſtoli ex Argento &c. „ *Hæc Lipſius.* Quàm egregiis porrò Magni Principis dotibus ornatus is fuerit, paucis Meteranus complectitur; qui ita de hoc Principe ſcribit: „ Philippus hic Author eſt Cæremoniarum Ordi„ nis Burgundici hodie adhuc in domo Auſtriaca uſitatarum. Fuit Sapiens;

„ Pius;

„ Pius; Magnificus in veſtitu, conviviis, ſupellectili; ditiſſimus omnium Principum ſui temporis; Pugnax; Pacis amans; Facilis etiam in hoſtes; Nullum „ Principem à ſe magìs timeri Machomet Turcarum Imperator faſſus eſt. Imperium Romanum oblatum ultrò recuſavit. „ Vide *Meteran. in Philipp.* Et verò teſtatur etiamnum Bellicam Philippi virtutem ænea ſummæ artis Statua, Oeniponti in Eccleſia S. Crucis proſtans, cum ſubjecta epigraphe. *Salve inter Invictos Invictiſſime.* Lambec. *Tom. 2. fol. 703.*

Hic igitur Princeps ipſa ſolemni nuptiarum, tunc tertiò cum Iſabella Joannis I. Luſitaniæ Regis filia (cùm priùs Michaëlam, filiam Caroli VI. Galliarum Regis, deinde Bonam Artheſiam, filiam Philippi Comitis Augarum, matrimonio ſibi junctas habuiſſet) ſingulari magnificentiâ initarum, die hunc inclytum Aurei Velleris Equitum Ordinem, quem non immeritò Auguſtiſſimum *Coronellus* appellat, inſtituit tribus & viginti, præter ſe, nobiliſſimis proceribus in eum ſolemni ritu adlectis. Ita *Haræus loc. cit. Guicciard. in deſcr region. Belgii pag. 89. Gryphius, Chiffletius, uterque Mennenius*, aliíque paſſim. Idque confirmat Epitaphium, quod ejusdem Philippi Boni Sarcophago in hæc verba inciſum hodiedum Divione videre eſt:

*Pour maintenir l' Egliſe, qui eſt de Dieu maiſon;*
*J'ay mis ſus le noble Ordre, qu'on nomme la Toiſon.*

Quæ Latinè reddita ſic ſonant:

*Alma Dei Domus, ut ſit Salva Eccleſia; clarus*
*Velleris eſt Aurêi conditus Ordo mihi.*

Denique & ex Leonis X. Pontificis Bulla ad Carolum, tum Hiſpaniarum Regem, qui deinde Quintus hujus nominis Imperator fuit, anno 15 6 data, manifeſtè id evincitur; cujus verba hæc ſunt: „ Dudum quondam Philippus Dux „ Burgundiæ piè ductus, ad Omnipotentis DEI laudem & Gloriam, & ejus Genitricis glorioſæ Virginis Mariæ & totius cœleſtis exercitûs honorem - - - „ unam laudabilem & celebremConfraternitatem ſeu Societatem nobilium militum ſub titulo ſeu denominatione Ordinis, aut millitiæ *Velleris Aurei* pro triginta fratribus militibus, & uno Capite ſeu Primate - - inſtituit. „

Neque ullum de inſtitutore eſt dubium. De anno inſtitutionis nonnulla indè controverſia oritur, quòd alii cum Haræo 10 Januarii Anno 1429 alii contrà 1430. & nuptialia hæc feſta celebrata, & hunc Ordinem conditum volunt. Sed enim arduum non eſt hos annos inter ſe conciliare: conſtat enim Gallis æquè ac Burgundis, annum non à Januario; ſed verno tempore, à menſe Martio inchoari ſolitum. De quo vide *Guicciard. loc. ſuprà cit. Sigism. Birken in ſpec. Hon. Dom. Auſtr. in margine pag. 451. Spondan. Annal. Eccl. ad an. 1430. Petavium item*, qui in ſuo *Rationar. temp. part. 1. l. 9. c. 12.* Anni exordium à Paſchate ad Kalendas Januarii edicto Caroli IX. Regis Franciæ revocatum eſſe teſtatur. Indéque menſis September hodiedum dicitur, qui ordine menſium tum *ſeptimus* erat: ſic October, November, December; qui tum *octavus, nonus* & *decimus*. Atque ex ipſo hoc menſium ita ſibi invicem ſuccedentium ordine factum eſt, ut is, de quo hîc agimus, Januarius menſis Gallis Burgundíſque undecimus eſſet anni 1429. qui tamen idem & nobis hodie, & aliis jam tum nationibus primus erat anni 1430. ut proinde nihil porrò ſubeſſe dubitationis de ipſo inſtitutionis tam magnificæ anno jam poſſit.

A quo multùm ſanè aberrat Waremundus ab Ehrenberg, qui *l. 1. de fœder. c. 4. n. 14.* Nobiliſſimæ hujus Societatis inſtitutæ annum 1477. ſed perperam, tribuit. Nam ſi verum id foret; tum id conſequi neceſſum eſſet: ut à mortuo Phi-



lippo

lippo mortuis hic Equeſtris Ordinis honor impenſus eſſe diceretur; cùm & Philippus decennio antè, id eſt, anno 1467. è vivis exceſſerit: & complures Equites (quos tamen adſcriptos ab hoc Principe in Societatem hanc, è monumentis certiſſimis legimus) longè ante annum hunc 1477. emigrâſſe ex hac vita reperiamus.

Porrò de loco inſtitutionis dubium movet Andreas Mendo *de Ord. Militar. disquiſit. 1. quæſt. 3.* & incunabula Ordinis hujus, neſcio cui, loco aut Oppido, quod *Tomer* is nuncupat, tribuit: cujus tamen nominis Oppidum ego nullum uſpiam inter Belgas reperio; nisì fortè (quod rectè animadvertiſſe videtur Schurzfleiſchius *in Oper. Hiſt. Polit. tit. 58. pag. 848.*) Audomaropolim ille, quam vulgò *Saint Omer* nuncupant, per ſuum *Tomer* intelligi voluit. Verùm utroque nomine aberrat longiſſimè, & erroris eum manifeſti Authores cæteri omnes coarguunt, qui Brugis Flandrorum & ſolemnes illas magnificásque cum Iſabella Luſitana nuptias celebratas, & inſtitutum hunc Ordinem uno ore teſtantur. Vide de hac inſtitutione Haræum, Meyerum, Heuterum, Chiffletium, Marchantium, Limnæum & alios, qui aliquid de nobiliſſima hac Societate ſcripſerunt. Sed abundè hæc rei hiſtoricæ peritis comperta ſunt.

## §. II.

### *Unde celebris illa Aurei Velleris appellatio ſit deſumpta.*

ILlud incertum, cur potiſſimùm *Aurei Velleris* appellatio huic Ordini indita ab inſtitutore Philippo ſit, & variæ ſanè ſunt in hac parte ſententiæ. Ego Authores illos nil moror, qui teſte JulioChifletio *in Brev. Hiſt. Ord. Aur. Vell.* figmenta neſcio quæ, quæ ille *cap. 3. pag. 7.* ne quidem anilium fabularum nomen mereri ait, de hoc argumento commenti ſunt. Nec inſerere his paginis eorum opinamenta eſt animus; quando neminem ego, qui quidem æquioris paulò mentis ſit, fore exiſtimo, cui palmaria eorum hac in re quidquam figmenta perſuadeant, quæ ab iniquo præſertim ſcriptore in eum Ordinem ſunt prolata, qui in fidei & Eccleſiæ Catholicæ defenſionem conditus, à tot coronatis capitibus maximâ grati animi conteſtatione ſuſceptus eſt: quæque in eum detorta ſunt Principem, quem & ætas ipſa, & animi pietas, & inſignis in rebus tam ſecundis moderatio ac majeſtas, vel me tacente, ab objecta vilitate defendit. Sed hos ego, ùt dixi, prætereo, & ad alios æquioris calami Authores me confero.

Favinus, tametſi aliàs huic, de quo loquimur, Ordini haud multum addictus, in ſua tamen hiſtoria Navarræa *lib. 10. fol.* 557. opinionem etſi parùm probabilem, relatu tamen non indignam, affert: aítque à Philippo, ea de cauſa, inſtitutum ac ab *Aureo Vellere* nuncupatum hunc Ordinem, quòd maximi Ducum Belgii cenſus ex Flandrici pecoris vellere lanáque proveniant. Accedunt huic opinioni & alii Scriptores, *Velleríſque Aurei* Symbolum aſſumptum ideò à Philippo exiſtimant, quòd præcipua vectigalia ex lanificio haberet. *Joan. Carion. Chron. fol. 1198.* Et verò applauderem ego fœcundo horum virorum ingenio, ſi de inita mercatorum ſocietate hæc ſcriberent; Verùm ubi de Ampliſſimo Ordine, viris Principibus, atque ipſis adeò Regibus ornandis pariter & demerendis inſtituto, hæc memorant, haud ſanè multum eorum judicio deferendum exiſtimo.

Alii cum Petro à S. Juliano *in Origin. Burgund. c. 28. fol.* 154. exiſtimant Philippum hoc *Vellere* innuere voluiſſe; fœcunditatem terrarum ſuarum aureum quoddam vellus, & quidem Jaſonis vellere excellentius eſſe. Nec literas in voce *Jaſon* carere myſterio: ſed ſingulis literis menſes ſingulos, Julium ſcilicet, Auguſtum, Septembrem, Octobrem, & Novembrem deſignari, quibus omnis ferè terræ fœcunditas in uſum humani victûs & alimenti ſe exerat. Vide *Limn.*

*Tom.*

*Tom. 2. Juris publ. l. 6. c. 2.* Verùm & hic Author acuti potiùs,quàm exacti, ſcriptoris nomine ob hanc litterarum obſervationem donandus eſt; utpote qui,ad quæſitum à nobis Velleris Aurei nomen, perexiguum ſanè luminis & argumenti probabilis affert. Neque item audiendi ſunt illi apud Leutholffium in *Caduceo Europ. fol.* 203. qui cenſent, hoc *Aureo Vellere* opulentiam rerum omnium ſignificare Authorem voluiſſe; quorum ſententiæ ſuam quoque ſymbolam addit author citatus: dum Carolum V. Inſtitutoris abnepotem,ex providentia Numinis *verum Vellus Aureum* in fodinis occidentalis Indiæ ſuſtuliſſe commemorat. Sed & ille deflectit à ſemita; qui fata tam felicia abnepotis cauſam Proavo, appellationis Ordinis ſui inde deſumendæ, præbere potuiſſe exiſtimat.

Magìs ad rem illi accedunt, qui aut à Sacra *Gedeonici Velleris* hiſtoria, aut à fabuloſo *Velleris Aurei*, Duce Jaſone, per argonautas è Colchide rapti commento appellationem hanc deſumptam argumentis utrinque firmis oſtendunt. Et verò qui ab *Aureo* Jaſonis *Vellere* deſumptum nomen hoc autumant, ſententiam inde ſuam ſtabiliunt: quòd non ſimplici appellatione *à Vellere* ſed *ab Aureo Vellere* ſocietati huic nomen Philippus author indiderit; *Aureum* autem *Vellus* Jaſonis duntaxat, non illud Gedeonis, fuiſſe. Deinde eo tempore inſtitutum hunc ordinem; quò magnis indies incrementis accreſcens Chriſti hoſtium in Oriente potentia Magnanimi hujus,& Chriſtianæ rei propugnandæ ſtudioſiſſimi, Principis animum acribus heroæ virtutis ſtimulis impulerit: ut, velut novus quidam Jaſon, non tam ſopito, quàm penitùs profligato,aut deleto,Ottomanico illo Dracone, ampliſſimas illas ditiſſimáſque provincias, ſanctiſſimis Servatoris Dei veſtigiis, ipſóque ſanguinis Chriſti pretio conſecratas, tanquam *Aureum* quoddam *Vellus*, ſociatâ ſibi nobiliſſimorum fortiſſimorúmque *Argonautarum*, id eſt, Equitum, manu auderet eripere, & Chriſtiano rurſus nomini Eccleſiæque Romano-Catholicæ vindicare. Denique & ipſam Patris in Regione Colchidis (quam Mengreliam nunc appellant) captivitatem Duci filio, magno fuiſſe incitamento, ad eam ipſam Regionem hoſtibus barbaris adimendam, ſuíſque Ditionibus adſcribendam, exiſtimant: atque inde ab hoc Colchico vellere potiùs, quàm ab alio quopiam, tam illuſtrem hanc *Velleris Aurei* appellationem nobiliſſimo ordini ſuo Philippum Bonum tribuiſſe contendunt. De quibus vide *Dreſſer. Millenar. VI. Iſag. hiſt. fol.* 301. *Limn. Jur. publ. tom.* 2. *l.* 6. *c.* 2. *Gryphium in compendiaria ſua Equeſtrium Ordinum deſcriptione* §. 39. *fol.* 254. *Guicciard. in deſcript. Belg. pag.* 89. *Aubert. Miræum. in orig. Ord. Equeſtr. pag.* 58. *& alios paſſim.* E quibus tamen in eo hallucinantur pleríque cum Majolo *dier. canicul. fol.* 1177. dum opinionem ſuam recitatis inſuper ex ipſo inſtitutionis diplomate ſequentibus verbis: *Quem ab Aureo Argonautæ Jaſonis Vellere appellari volumus*, confirmare nituntur. Cùm tamen in autographo inſtitutionis, veteri Burgundorum linguâ ſcriptæ, contextu non niſi ſequentia reperiri certum ſit: *Que voulons eſtre appellée l'ordre de la toizon d'or.* Id eſt, *quem volumus appellari Ordinem Velleris Aurei.* Ubi nullam uſpiam mentionem fieri videmus de Jaſone. Cæterùm tamen ultrò fatendum eſt: hanc opinionem multum ſanè probabilitatis habere.

Sed neque minùs probabilis illa eſt, quæ à ſacro Gedeonis vellere Ordinis hujus appellationem deſumit. Et verò ſententiam hanc priori antefert *Haræus in Annal. Duc. Brab. fol.* 409. & *Frider. Leutholff. in Caduc. Europ. fol.* 203. qui à Gedeone potiùs, quàm à Jaſone, originem & appellationem Ordinis hujus deſumptam exiſtimant; quòd, quemadmodum magnus ille Iſraëlitarum Dux Gedeon viſo *Vellere* ſicco primùm, deinde roſcido *Judic. c.* 6. *v.* 36. vehementer animo eſt confirmatus; ita, ut trecentis duntaxat viris, DEI juſſu delectis, innu-

meras Madianitarum copias profligârit; ſic & Philippus ſe paucorum quidem, ſed heroum, in ordinem ſuum adſcriptorum, virtute adjutum, adversùs quantumvis hoſtium Saracenorum exercitum victorem fore, Deo duce, confideret. Et verò ſuadent idipſum, iisdem authoribus teſtibus, aulæa antiquiſſima hujus ejusdem Philippi, etiamnum quotannis ad D. Gudilæ in Ordinis hujus anniverſariis & B. Andreæ Apoſtoli feſto die, in ſacello Principum Bruxellis appendi ſolita; quæ ſanè non Jaſonis, ſed Gedeonis vellus & hiſtoriam referunt; ex quo proinde haud abſurdè conjici poteſt, Philippum Gedeonici velleris haudquaquam fuiſſe immemorem. Id quod etiam Raynaldi ex Meyero verba *in Annal. Eccleſ. tom. 18. ad an. 1429. n. 18.* non obſcurè demonſtrant: „Illum (Philippum Bonum) „ hoc anno, 10. Januarii, in celebritate nuptiali cum Eliſabetha filia Joannis Re- „ gis Luſitaniæ, Equeſtrem Ordinem Velleris Aurei iuſtituiſſe; quo quidem Vel- „ lere ſignari voluit *Gedeonis vellus*, quod intemeratam Sanctiſſimæ Virginum „ Reginæ MARIÆ Virginitatem ſignificavit, illapſúmque DEI in ejus puriſſi- „ mum gremium revocat in memoriam, ùt Benedictus Gononas interpretatur. „ Ita *Odoric. Raynald.* nec ſanè abs re; quando ipſa inſtitutoris verba: Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ honorem eum ſpectâſſe manifeſtè arguunt: ſic enim in inſtitutionis Diplomate legere eſt: *Nous à la gloire & loijange du tout-puiſſant noſtre createur & Redempteur, en reverence de ſa glorieuſe Vierge Mere - - prennons, creons, & ordonnons un ordre & fraternité de Chevalerie* &c. Id eſt: „ Nos ad gloriam & laudem omnipotentis noſtri Creatoris & Redemptoris, „ in reverentiam glorioſæ Virginis ejus Matris - - ſuſcipimus, creamus, & „ ordinamus Ordinem & fraternitatem Equeſtrem &c. „

Confirmátque hanc *de Gedeonico vellere* ſententiam *Imboff. in Notit. Rom. Germ. Imperii Procerum l. 1. c. 7. fol. 22.* Et, ante hunc, Scriptor Illuſtriſſimus Olivierius Marchianus, qui ſcribit ſe, cùm annum ætatis ageret ſeptuageſimum ſextum, revocâſſe in memoriam Philippo Pulchro Regi Caſtiliæ (qui idem Parens erat Caroli V.) à Philippo Bono, ejusdem Philippi Avo, inſtitutum eſſe Ordinem Velleris Aurei ad imitationem Arietis Colchici. Verùm ſupervenientem Joannem Germanum Epiſcopum Cabillonenſem, primum Ordinis hujus Cancellarium, hanc perſuaſionem juveni huic Principi penitus exemiſſe, oſtendiſſéque: Philippum avum in Ordinis hujus inſtitutione Canonicam Gedeonis de roſcido vellere Hiſtoriam animo objectam habuiſſe cum augurali omine fore, ut novi hi Ordinis Equites ſic Turcarum victores evaderent, quemadmodum ille victor Madianitarum fuiſſet; factúmque hinc eſſe, ut Author Ordinis, Princeps Chriſtianæ fidei dilatandæ zelo ardentiſſimus, Ethnicæ fabulæ hiſtoriam ſacram præferret.

Subdit deinde alteram Guilielmi Tornacenſis Epiſcopi conjecturam, qui ſecundus Ordinis Cancellarius rem hanc totam ad Jaſonis ſimul & Jacobi vellera, è diſcoloribus iis ovibus, quæ huic Patriarchæ, prout inter illum & Labanum convenerat, in ſortem obtigêre, referendam eſſe libris duobus, ea de re ſcriptis, contendit; in quibus multas & varias Chriſtiano heroe apprimè dignas, & huic præſertim Ordini proprias virtutes multiplici utriusque hujus Velleris indicio deſignari ſat firmis conatur argumentis evincere. Quam ego laudatiſſimi viri opinionem uti minimè rejiciendam duco, ita ægrè mihi perſuadeo: bellicoſum Principem à paſtoritio illo Jacobi ſymbolo militarem voluiſſe ſuorum Equitum Ordinem nuncupare.

Cæterùm ego nihil præter rationem facturum exiſtimo, ſi quis magnanimum hunc & genuinæ avidum gloriæ Principem in hac ſua Ordinis appellatione ſimul commentitiam illam Jaſonis expeditionem in Colchidem, ſimul ſacratiorem


Ego quoque ferio
Trinomine in uno corpore Heroem hic vides,
Et Audacem, et Bellatorem, et Justū Carolum.
Tot illum virtus Cognomentis ornavit,
Dum Principē eum numeris omnib, perfectū voluit,
Quem et Bellator animus Formidabilē hostibus,
Et Audax Constantia invictum periculis,
Et Justitiæ studium charū civibus reddidit,
Et gestorū gloria im̄ortalitati transcripsit.

tiorem alteram Gedeonis hiſtoriam ante oculos ſibi propoſitam habuiſſe perſuadeat: neque enim aut abſurdum, aut novum eſt: ipſis etiam gentilium poëtarum commentis ad heroæ præſertim virtutis ſtudium animos ad magna natos accendere. Potuit itaque Philippus & revocato hinc in memoriam magnanimo illo & audaci Jaſonis, ſociorúmque heroi animi juvenum, auſu, generoſam lectiſſimorum Procerum ſuorum indolem ad pares auſus impellere; &, propoſito inde ſanctiſſimi illius Iſraëlitarum Ducis exemplo, inflammatos militaris gloriæ cupidine animos ad ſanctiora exercendæ bellicæ virtutis, adversùs juratos Chriſtiani nominis hoſtes, ſtudia excitare. Favétque non obſcurè meæ huic ſententiæ Jacobus Marchantius in ſua Flandria *l. 3. pag. 285. & 286.* Cujus hæc, quæ ſubjicio, verba ſunt: „ Ipſo nuptiarum die Ordinem Aurei Velleris inſti„ tuit - - exemplo *Gedeonis.* „ Addit tamen ſubinde: „ Aureum verò ſplen„ dorem illi Velleri induxit ex *Jaſonis* & Argonautarum nobiliſſimæ in Colchi„ dem navigationis imitatione. „ Ex quibus ſanè non ineptè conjicere licet: Principem hunc & Sapientem, & Probum, Jaſonis pariter ac Gedeonis virtutem magnanimam in hoc ampliſſimo ab ſe inſtituto Ordine ſociare, inditâ ab utroque hoc duce *Aurei Velleris* appellatione, voluiſſe.

# CAPUT III.

## *De cauſis inſtitutionis, requiſitis Equitum qualitatibus, ac de eorundem & Miniſtrorum Ordinis numero.*

### §. I.

### *Quænam hunc Ordinem inſtituendi cauſæ extiterint, & de requiſitis qualitatibus Equitum.*

Explanatis iis, quæ de Ordinis inſtitutore, inſtitutionis tempore, & nominis origine nôſſe primùm oportebat; æquum eſt, ut & cauſas, quæ ad hanc tam nobilem ampliſſimi hujus Ordinis inſtitutionem laudatiſſimum hunc Principem impulêre, expediamus. Et verò graves eas, & Authori ſuo æquè ac nobiliſſimæ huic Societati decoras extitiſſe certum indubitatúmque eſt omnibus, qui rem propiùs inſpexêre: quidquid in contrarium ſcriptores alii nobiliſſimæ huic Societati haud ſatìs æqui comminiſcantur. Et ſanè modeſtiore nonnihil calamo, veracioréque uti debuiſſe Favinum exiſtimo *in ſuo theat. hon. Equit. l. 4. c. 5. pag. 944.* qui fœminæ cujuſdam Brugenſis amorem occaſionem causámque Principi dediſſe comminiſcitur hujus Ordinis inſtituendi. Meminiſſe ſiquidem Scriptor, utut malevolus, debuiſſet: rem profectò parùm è dignitate ſua facturum fuiſſe hunc Principem; ſi, qua die lectiſſimam atque adeò Regiam Virginem nuptiali ſibi ſacramento ex ſacris Eccleſiæ ritibus aſſumebat in conjugem; eâdem ille die, parùm ſanè decoro imparis cujuſpiam puellæ amori, quendam, ut ita dicam, triumphum tam magnificâ Ordinis hujus inſtitutione, in ipſis vixdum etiamnum bene ſalutatæ Sponſæ Regiæ oculis, adornare voluiſſet. Neque item tanto fuiſſet populorum omnium plauſu commendatum id Philippi conſilium, ſi tam futili fuiſſet cauſæ innixum. Alii apud eundem Favinum modeſtiùs paulò eò rem omnem detorquere laborant, ut non aliam Principi tam illuſtris Conſilii fuiſſe cauſam exiſtiment, quàm ut ampliori magnificentiâ majoríque præcipuæ nobilitatis affluxu nuptiale id feſtum celebrari videret. Sed & hæc ratio haud multum

habere probabilitatis videtur ; neque enim conſentaneum eſt credere : tanto ſtudio, tantíſque impendiis vel ipſum inſtitutorem, poſt nuptias jam dudum peractas, hanc Societatem conſervaturum ; vel exteros Principes tantâ facilitate tantáque imò ambitione, Sodalitii hujus Equeſtris inſignia ſuſcepturos fuiſſe ; ſi non alio quopiam altiori magíſque ad famam plauſibili Conſilio id fuiſſe inſtitutum noviſſent. Nec verò tertiæ etiam illi opinioni, quam *Franc. Mennen. in Delic. Equeſt. pag. 137.* innuere videtur, aſſentior : voluiſſe nempe hunc Principem magnificentiæ ſtudioſum, imitatione quadam, ab adſcriptis huic Ordini Equitibus majorum minorúmque gentium deos referri, quibus ille veluti Jupiter quidam Supremus præeſſet. Quis enim credat ? huic tantæ exteri Principis Succeſſorúmque ejus ambitioni tot præcipuos Duces, tot Reges ac Cæſares, qui in eum Ordinem ultrò volentéſque nomen in hoc uſque tempus dedêre, vellificaturos fuiſſe.

Sanctiores itaque melioréſque fuiſſe cauſas oportuit rei, tanto ubique hominum plauſu, tantóque etiam exterarum gentium Conſenſu exceptæ ; quas ſanè non aliunde ſinceriùs, quàm ex ipſo fonte, ipſo nempe Inſtitutionis Diplomate deſumere poſſumus : Cujus verba ſic habent : „ Notum univerſis eſſe „ volumus - - Nos ad ſummi atque Omnipotentis DEI, Creatoris ac Redem- „ ptoris noſtri laudem & gloriam, atque venerationem Sanctiſſimæ Virginis „ ejus Matris, honorémque Divi Andreæ Apoſtoli ac Martyris inclyti, & ad fidei „ noſtræ Chriſtianæ ſanctæque Eccleſiæ tutamen atque exaltationem, virtu- „ túmque ac morum ingenuorum excitationem atque augmentum - - inſti- „ tuiſſe Ordinem quendam - - quem quidem Ordinem *Aurei Velleris* appella- „ tione inſignivimus. „ In quibus ego verbis, nulla neque amoris indecori, neque tumidæ ambitionis deprehendo veſtigia : Sed laudatiſſimum Principem rem hanc omnem ad ſubliniorem longè finem : ſupremi nempe Numinis cultum ; honorem cœlitum ; Fidei & Eccleſiæ Catholicæ exaltationem ; virtutíſque ſtudium, in Nobilium animis excitandum, retuliſſe conſpicio.

Et certè Divinam, præſertim in fidei Chriſtianæ hoſtibus debellandis, gloriam propoſitam ſibi habuiſſe hunc Principem ſatìs illud indicio eſt, quòd voto ſe obſtrinxerat ſexaginta millium exercitum in Turcas ducendi. Vide *Birken in Auſtr. ſpec. bon. l. 4. c. 7.* & cùm ab ea expeditione illato à Ludovico XI. Franciæ Rege bello impediretur ; tamen & cum Eugenio IV. Pontifice, Venetíſque ac Genuenſibus, ùt teſtatur *Spondan. tom. 1. ad an. 1444.* grandem ſeptuaginta navium Claſſem, quæ tranſitum Turcis ex Aſia prohiberet, ſubmiſit. Et aliam rurſus Claſſem, ùt Haræus *pag. 425.* duodecim triremium ſuo ſumptu inſtruxit, quâ Septa, Africæ civitas, Maurorum obſidione ſoluta eſt. Auſurus majora, ſi par animus cæteris quoque Europæ Principibus in Chriſtianæ fidei propugnationem fuiſſet. Æneas certè Silvius (poſtea, ſub Pii II. nomine, Pontifex) *Epiſtola 127.* ſequentibus magnanimum hujus Principis zelum verbis commendat: „ Unus mihi videtur ſupra omnes commendandus Philippus Burgundiæ Dux, „ qui vocatus ad Conventum, noluit excuſari, noluit Reipublicæ deeſſe ; venit „ Ratisbonam, iturúmque ſe contra Turcas in perſona propria pollicitus eſt ; ſi „ vel Cæſar, vel Rex Hungariæ, vel alius magnus Princeps exercitum duceret: „ ſin minùs ; miſſurum ſe, quâs poſſet, copias. Neque in hiſce rebus excuſa- „ tum ſe haberi voluit ; niſi tale ſuperveniret impedimentum, quod tota Chri- „ ſtianitas legitimum reputaret. „

Apertius verò, & ad rem meam accommodatius teſtimonium illud eſt longè graviſſimum, quod à Concilii Baſileenſis Patribus huic Ordini datum, ex Epiſtola totius Synodi nomine ad Philippum cæteróſque Velleris Aurei Equites

die 4. Novemb. Anno 1432. ſcriptâ, nullo apice immutato ſubjicio : Sunt autem ejus verba ſequentia : „ Audemus etiam vos nuncupare non tantùm milites mundi, ſed JESU Chriſti; PRO CUJUS AMORE tali Confraternitati „ nomen dediſtis, ſub promiſſione & deſiderio Fidem Chriſtianiſſimam defendendi, Statúmque & libertatem noſtræ Matris Sanctæ Eccleſiæ. O Homines verè Catholicos, & Equeſtri Ordine digniſſimos! ô fortiſſimos pugiles & „ Machabæos reſuſcitatos! ô benedictum Ordinem, & Sanctam Sodalitatem! „ quæ per omne tempus laudari debeat. „ Quo teſtimonio, quid obſecro, in nobiliſſimi hujus inſtituti laudem, Sanctiſſimæque inſtitutionis commendationem dici gravius aut luculentius potuiſſet? Ex his itaque abundè prudens lector intelliget: Philippum inſolito quodam, fidei hoſtes debellandi, ardore flagrâſſe; atque hoc potiſſimùm intuitu nobiliſſimum hoc, de quo loquimur, Clariſſimorum Equitum Sodalitium inſtituiſſe; quò lectiſſimos ſibi heroes in pulcherrimam hujusmodi expeditionem tantò arctiùs adſtringeret, eorúmque adjutus virtute & robore, tantò faciliùs paternæ captivitatis ultionem ſumere de barbaris poſſet.

Nec verò quosvis Philippus huic ſuo magnifico inſtituto idoneos reputabat; ſed qui vetuſtâ nobilíque ſtirpe oriundi, ac deducto à longiſſima nobiliſſimorum Majorum ſerie illuſtri ſanguine clari, fluviorum inſtar tantò commendantur impenſiùs, quantò ab origine clara remotiùs magnitudine ſemper auctiori feruntur. Itaque voluit, ut quisquis adlegi in Societatem hanc cuperet, is Nobilis nomine pariter, & Gentilitiis inſignibus eſſet, atque nulla inſuper eſſet labe notatus: quam labem duplicis eſſe generis, Author ipſe in ſtatutis hujus Ordinis obſervavit. *Labem ſtemmatis* ſeu *ſanguinis* alteram; alteram *perſonæ*. Statuítque præterea, ut ſi quis primâ illâ maculâ, ſeu *labe ſanguinis* notatus exiſteret; quantiscunque tandem eſſet corporis animíque dotibus præditus, adſcribi nunquam in hunc Ordinem poſſet. Alteram verò *perſonæ* qui contraxiſſet, quíque maculam quampiam cum aliqua nominis ſui imminutione conjunctam admiſiſſet: is ſi factum paulò gravius eſſet, aditum ſibi penitus interclusum ad nobiliſſimum hoc Sodalitium ſciret; ſin verò labes tanta non foret; tamen antè cooptari nequiret in Ordinem, quàm factis fortibus contractam maculam eluiſſet. Et ſanè ſub ipſa Ordinis hujus initia, eâ ſolùm ex cauſa Ludovicus Chalonius in hunc Ordinem admiſſus non eſt; quod in pugna quapiam minùs feliciter initâ, hoſtilem incurſionem non ſuſtinens, poſt aliquam ſuorum cladem, nondum ultima expertus, receptui cani juſſiſſet; ſignísque volantibus exceſſiſſet è prælio. Quamquam in hoc ipſo receſſu famam inde ſibi non exiguam compararit, quod rapidiſſimum fluvium Rhodanum cataphractus trajecit. Attamen deinde eundem hunc Ludovicum Chalonium à Carolo Philippi filio, poſt labem hanc omnem heroicis factis penitus deterſam, anno 1467. in numerum hujus ejusdem Ordinis Equitum receptum reperio. Vide *J. B. Maurice le Blaſon pag. 71.*

Cæterùm verò nulla labes aut major exiſtimatur aut gravior, quam *hæreſis*, utpote quam adeò averſatur hic Ordo, ut, qui eâ contaminatus ſit, in Societatem hanc Equeſtrem recipi nullatenus poſſit; imò excludi continuò debeat, ſi quis ex Equitibus in hanc fortè prolapſus ſit. De quo vide Conſtitutionem ſeu Regulam XIV. Utque id Decretum tantò firmiùs ſtaret, cavit peculiari Statuto Philippus II. Rex Hiſpaniarum, idémque ſupremus hujus Ordinis Princeps: utì Equites electionem impoſterum celebraturi ſolemni ſe juramento obſtringerent: ſe ſcientes ac prudentes neminem electuros hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum. Voluítque ut electio aliter facta & nulla, & invalida eſſet. Id quod colligere luculentiùs ex additione XVII. licet.

## §. II.

### *De Equitum & Miniſtrorum Ordinis numero.*

UTne autem Equeſtris hujus Ordinis dignitas in alios ſubinde atque alios paſſim vulgata vileſceret, providè Princeps Sapientiſſimus ſtatuit, ut ne plures quàm triginta & unus Equites in Ordinem hunc ampliſſimum cooptari fas eſſet, ipſo etiam Supremo Ordinis Capite in hoc numero comprehenſo. Atque hanc ille Supremi Magiſtratûs ac Præfecturæ Ordinis dignitatem perpetuis temporibus apud ſe ac ſucceſſores ſuos legitimos Duces Burgundiæ, eosdémque inferioris Germaniæ Principes, permanere voluit. Vide *Lud. Guicciard. in deſcript. Region. Belg. pag. 89.* Indéque factum ſubinde eſt, ut mortuo ſinè maſcula prole Carolo Audace, cùm unicam ejus Ducis filiam Mariam matrimonio ſibi Maximilianus Archi-Dux Auſtriæ, qui deinde primus hujus nominis Romanorum Imperator extitit, ſociâſſet; eo conjugio, unà cum hæreditario ad Ducatum Burgundiæ jure, hæc quoque ſupremi Ordinis hujus Præfecti dignitas in eundem Maximilianum, atque indè, ſucceſſione Auſtriacorum perpetuâ, in hodiernum usque Auguſtiſſimum Imperatorem eundémque Hiſpaniæ Regem CAROLUM ſit devoluta. Cæterùm primis ille Comitiis, quæ Brugis Flandriæ celebrata diximus, nonniſi quatuor & viginti adlegit Equites, ſic, ut viceſimum quartum Dux ipſe conſtitueret; anno tamen inſequente reſiduis Divione creatis numerum primæ ſuæ inſtitutionis explevit, atque eum deinceps numerum Equitum ſervari voluit, perſtititque hic Equitum numerus usque ad Caroli V. tempora, *qui*, ùt teſtatur Miræus *in orig. Ord. Equeſtr.* anno *ſæculi ſui decimo ſexto, Bruxellis Conventum agens Sodalitium unius & quinquaginta Equitum ſtatuit.* Bullâ etiam Pontificiâ in id eodem anno 1516. à Leone X. impetratâ: ex qua quoniam & ſingularem religioſiſſimi hujus Principis erga Sedem Apoſtolicam obſervantiam, & ejus, quem dixi, Equitum numeri explendi poteſtatem ab eadem viciſſim maximo huic Principi factam videre eſt; hinc eam, ùt eſt ſcripta, ſubjicio:

### *Bulla Leonis Papæ Decimi.*

LEO Epiſcopus Servus ſervorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam „ præclaræ Devotionis ſinceritas & eximia fidei conſtantia, quibus „ Chariſſimus in Chriſto filius noſter CAROLUS Caſtellæ, & Legionis „ ac Aragonum & Siciliæ Rex Illuſtris, & Burgundiæ Dux, ſuíque Prædeceſſores Burgundiæ Duces, qui hactenus fuerunt, in noſtro & Apoſtolicæ Sedis conſpectu claruerunt, & idem CAROLUS Rex indies ſplendere „ dignoſcitur, nos excitant, ut in his ei favorabiliter aſſiſtamus, per quæ Majeſtati ſuæ honor accedere, & ſui ſtatûs ſecuritas, ac ejus & ſibi devotarum „ perſonarum, animarum ſalus valeat provenire; ſanè præfatus CAROLUS „ Rex nobis nuper exponi fecit, quòd dudum quondam Philippus Dux Burgundiæ piè ductus ad omnipotentis DEI laudem & Gloriam, & ejus Genitricis Glorioſæ Virginis MARIÆ, & totius Cœleſtis Exercitûs honorem, nec „ non Fidei Chriſtianæ tuitionem & defenſionem, unam laudabilem & celebrem Confraternitatem ſeu Societatem Nobilium Militum ſub titulo ſeu denominatione Ordinis aut militiæ *Velleris Aurei*, pro triginta Fratribus Militibus, & Uno Capite ſeu Primate, qui pro tempore Dux Burgundiæ, & hæres „ ſuus legitimus, ac in Ordine trigeſimus primus foret; nec non uno Cancel-

„ lario, Theſaurario, Secretario ac Heraldo inſtituit, & ordinavit, eámque di-
„ verſis honoribus, Privilegiis & libertatibus decoravit, & ad incitandum ani-
„ mos illorum Fratrum Militum ad virtutem, probitatem, fortitudinem, moréſque
„ componendos, & vitia deteſtanda, nonnulla laudabilia Statuta & ordinatio-
„ nes; inter cætera: quod numerus Fratrum dicti Ordinis ad numerum majo-
„ rem, quàm triginta, excedere non deberet, & nihil quod ad forum vel judi-
„ cium Eccleſiaſticum ſpectet, continentia; quæ ſinguli Confratres in eorum
„ aſſumptione ſub fide & verbo nobilis viri obſervare promitterent, fecit &
„ edidit, illáque Apoſtolicâ auctoritate confirmari procuravit. Et nuper cùm
„ idem CAROLUS Rex præfati Philippi Ducis (cujus ex filia abnepos & hæ-
„ res legitimus, ac Ordinis, ſeu militiæ hujusmodi Caput ſeu Primas exiſtit) ve-
„ ſtigiis inhærens, ac circa honorem, Statum & Directionem ejusdem Ordinis,
„ & illius perſonarum intendens, ſuum primum Conventum, ſeu Capitulum
„ Fratrum ipſius Ordinis celebrâſſet, ac inter tractandum de iis, quæ ad publi-
„ cam utilitatem pertinere videbantur, conſideratâ præſentis temporis condi-
„ tione, viſum fuiſſet, numerum prædictum potiùs ampliari, quàm reſtringi in
„ ipſo Capitulo, ſeu Conventu, ad Electionem Fratrum usque ad complemen-
„ tum numeri ſoliti triginta juxta ſtatuta Ordinis hujusmodi proceſſum extitit,
„ & in hujusmodi electione aliqui Reges Chriſtiani nominati & publicati, & in-
„ ſuper ſub beneplacito noſtro licèt, forſan id aliàs ordinariâ auctoritate fieri
„ potuiſſet, pro majori tamen auctoritate & roboris firmitate alii viginti Fra-
„ tres, nondum publicati, ſed tempore ſuo forſan publicandi in Fratres milites
„ dicti Ordinis creati, & illi annotati fuerunt: Quare pro parte dicti CAROLI
„ Regis, qui etiam Archi-Dux Auſtriæ exiſtit, nobis fuit humiliter ſupplicatum,
„ ut creationi & annotationi aliorum viginti Fratrum in Capitulo ſeu Conven-
„ tu factis, hujusmodi robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, aliásque in
„ præmiſſis prædicti Ordinis Directione, conſervatione, & augmento opportu-
„ nè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui eundem
„ CAROLUM Regem ſpeciali dilectionis affectu ex viſceribus charitatis proſe-
„ quimur, hujusmodi ſupplicationibus inclinati creationem & annotationem
„ prædictas, & quæcunque indè ſecuta, rata & grata habentes, illa, nec non
„ inſtitutionem Societatis, & alia illius ſtatuta, & ordinationes hujusmodi, ac
„ in eis contenta quæcunque, Apoſtolica auctoritate prædictâ tenore præſen-
„ tium approbamus & confirmamus, ac illis plenum firmitatis robur adjicimus,
„ illáque firmiter obſervari debere, & numerum ipſum de triginta ad quinqua-
„ ginta Fratres ipſius Ordinis, præter illius Primatem, de cætero ampliari & ex-
„ tendi poſſe decernimus: ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris quàm
„ facti, ſi qui forſan intervenerunt in eisdem; & nihilominùs ſtatutum & nu-
„ merum hujusmodi ad alios viginti Fratres, ita ut totalis numerus Fratrum di-
„ cti Ordinis quinquaginta, & Caput ſeu Primas, qui pro tempore erit Dux Bur-
„ gundiæ hæres, & ipſius CAROLI legitimus Succeſſor, ac in Ordine Fratrum
„ quinquageſimus primus; & præter illos Cancellarius, Theſaurarius, Secreta-
„ rius, & Heraldus in ipſo Ordine exiſtant; aliis ſtatutis & conſuetudinibus præ-
„ dictis in ſuo robore permanſuris auctoritate Apoſtolicâ &, tenore prædictis
„ extendimus & ampliamus, ac eundem CAROLUM Regem; & pro tempore
„ exiſtentem Primatem, & Fratres ac perſonas dicti Ordinis ab obſervatione
„ dicti ſtatuti de non eligendis, niſi triginta Fratribus, abſolvimus, & promiſ-
„ ſionem ac juramentum, de illo obſervando forſan factum ſeu præſtitum, eis re-
„ laxamus &c. „ Cætera ejusdem Bullæ verba, quoniam gratiam & Privilegia
ab Apoſtolica Sede Ordini huic conceſſa complectuntur, referentur opportuniùs

F alibi.

alibi. Hîc ſatìs fuit attuliſſe ea, quæ de Equitum numero & primùm inſtituto; & ſubinde per Carolum Hiſpaniæ Regem, qui deinde Quintus hujus nominis Cæſar extitit, aucto; & per ipſam Sedem Apoſtolicam approbato, teſtari poſſe videbantur.

Nec verò abs re fuerit, Julii quoque Chifletii, qui Ordinis hujus Cancellarius extitit, hîc verba inſerere, quibus & ea, quæ hactenus ſunt adducta firmentur, & aliquid novæ cognitionis accedat: is ergo ſic ſcribit *in Breviar. hiſt. Ordin. Aur. Vell. c. 9. pag. 23. & ſeq.* „ Philippo Ordinis conditori viſum, non „ vulgandam, multitudine compotum, ejusmodi laudem, ſed cum paucis com- „ municandam: quocirca primis in Comitiis quatuor & viginti fuêre; Donec „ Divione, ubi tertiò celebrata ſunt, additi præterea ſeni; ita ut præter ipſum „ Philippum, terdenis haud plures eſſent. Eúmque numerum ſervari placuit, „ donec aviti Dominii fines ſupergreſſa Philippi Soboles, tandem Arcano Nu- „ minis Conſilio Hiſpaniam, Siciliam utrámque, & Mediolanum priſtino Pro- „ vinciarum acervo adjecit: tunc enim Proceres tam vaſti Imperii hac ipsâ „ Velleris Aurei Illuſtriſſimi notâ condecorare operæ pretium fuit: Atque ita „ Carolus V. Imperator, qui primus antedictis potitus eſt ditionibus, de Leo- „ nis Papæ X. venia (*licèt*, ùt inquit Pontifex, *forſan id aliàs ordinariâ authori- „ tate fieri potuiſſet*) tricenarium numerum Vicenario auxit an. MDXVI. Du- „ ratque ea mutatio in hanc diem, niſi quod ſemel duntaxat, anticipatis ele- „ ctionibus, ſeptem ſupra numerum eundem electi fuerint, cum de novo com- „ militonum augmento ante annos viginti ageretur: Verùm de Conſilio Soda- „ lium, qui in Belgio tum temporis verſabantur, è re & æſtimatione Ordinis „ fore exiſtimatum eſt, ſi non ultra numerum quinquagenarium de ejusmodi „ incremento tractaretur. „

Ubi tamen animadvertendum & illud eſt, quatuor ſcilicet Ordinis Miniſtros ſuperiori Equitum numero non comprehenſos, Nobiliſſimæ huic Societati adjunctos ab inſtitutore Philippo Bono fuiſſe: Cancellarium ſcilicet, Theſaurarium, Secretarium, & Regem armorum, qui pro ſuo quisque munere in iis, quæ Ordinem concernunt, negotiis fidelem Principi, quotiescunque res poſceret, operam locarent.

Et Cancellarii quidem munus ob ipſam Officii hujus dignitatem & magnitudinem nonniſi ejusmodi viro committi Sapientiſſimus Author Ordinis voluit, qui aut in Eccleſiaſtica Archiepiſcopi aut Epiſcopi Dignitate conſtitutus ad gradus Theologiæ aut Juris Canonici promotus jam eſſet: Aut ſi profano ex Ordine quispiam ad id honoris aſſumeretur, is hujusmodi foret; qui & à Juris utriusque ſcientiâ clarus haberetur, & à multa experientia, rerúmque, ſingulari dexteritate tractandarum, peritiâ inſignem paſſim ſibi commendationem famámque comparâſſet. Quamquam nonniſi rariſſimè perſonis non ſacris ea dignitas obtigit, eam potiſſimùm ob cauſam, quod indulta à Leone X. huic Ordini privilegia in uſum reduci ab alio, quàm à Cancellario Sacris initiato non poſſint.

Cæterùm incumbit huic utriusque ſigilli, recti ſcilicet & adverſi (Gallis *Seel & Contre-Seel*) cuſtodia, quibus per eundem literæ aut decreta, negotia Ordinis concernentia, obſignari neceſſe eſt; ita tamen, ut literas, quæ honorem cujuspiam ex Equitibus lædere ullatenus viderentur, obſignare illi hoc ſigillo non liceat; niſi ſupremus Ordinis Princeps diſertis verbis id imperet, & ſex minimùm Equites Ordinis ſubſcribant, & obſignanti præſentes ſint. Ad ejusdem inſuper munus pertinet curare, ut literæ indictionis, aut aliæ hujusmodi, à Secretario Ordinis ritè, ac, ùt res poſtulat, conficiantur; illius eſt, cum Equitibus antiquioribus, qui præſentes interfuerant, examinare & revidere acta poſtre-

morum

morum Comitiorum, Correctionésque in his adhibitas; ut colligi exinde poſſit, num rectè omnia & ordine, ùt oportebat, peracta ſint. Ejus eſt aperire, ùt vocant, comitia, & ad congregatos ibidem Equites, quæ Supremus Ordinis imperabit, referre; ſchedas ſingulorum, quibus nomen recèns electi Equitis eſt inſcriptum, fideliter colligere; ſuffragiorum his inſcriptorum numerum inter ſe accuratè conferre; ac eadem ſubinde in Comitiis altiore voce palàm enunciare; formare præterea inſtructiones, quæ Miniſtris Ordinis, ad torques recèns electis Equitibus deferendos deputatis, dari conſuevêre; ac poſtremò Capitulo ſeu Comitiis Ordinis, accommodatâ Oratione ad virtutis ſtudium, mutuam concordiam & affectum; Celſitudinem, authoritatem, & honorem Supremi Capitis totis viribus tuendum ac propugnandum, cæteráque ordinis ſtatuta ac leges obſervandas, Congregatos Equites hortando finem imponere. Cúmque univerſa Ordinis negotia referre is, & conferre cum Principe debeat, eapropter conſtanter commorari in urbe, in qua hic reſidet, ſolet.

Secundum inter hos Ordinis Miniſtros locum Theſaurarius obtinet, cujus fidei totius Ordinis Theſauri commiſſi ſunt: illi veſtium, torquium, librorum, quibus ſtatuta Ordinis continentur; Privilegiorum, Diplomatum, cæterorúmque literariorum inſtrumentorum cura gerenda eſt. Pretioſioris item operis aulæa, totúsque ornatus Eccleſiæ cum argento omni, auro, cimeliíſque ſub ejuſdem aſſervantur cuſtodia. Eſt idem Bibliothecæ ad Ordinem hunc ſpectanti præfectus. Gerítque præterea Fundationis, dotationis, omniúmque Ordinis redituum curam; quos non modò adminiſtrare fideliter, ſed & in paratos ad id libros præcipuâ curâ referre debet unà cum diſtribuendis in pauperes eleemoſynis, legatis, ac donis tam pecuniariis quàm aliis, quæ Ordini undecunque obvenerint; annotatis etiam benefactorum nominibus, quæ recitari ſubinde publicè in Comitiis debuêre, ut & memoria eorum haberetur in publicis precibus, & aliorum quoque Equitum animi ad paria facienda impellerentur. Ac demum rationes illi de his rebus omnibus coram iis, qui ab Ordine ad id deputati pro tempore fuerint, quoties exiguntur, promptâ integráque fide reddendæ ſunt.

Hunc ſequitur, qui ab arcanis eſt epiſtolis Ordini (Secretarium dicimus) is ſuam in eo operam Ordini commodat, quod ejuſdem literas & decreta expediat; concluſiones ac Statuta in Comitiis Equeſtribus facta in tabulas referat; errores & delicta Equitum, ob quæ reprehenſi in Comitiis fuêre, libro in hunc uſum deputato inſcribat; ibidémque quid correctionis iiſdem datum ſit, adnotet; ac in eadem commentaria referat delicta & contumaciam eorum, qui vocati, adeſſe in Capitulo noluêre. Demum eidem incumbit, ad cæterorum Equitum incitamentum, Laureato volumini, (ita librum appellamus, qui laudabilia Sodalium facinora virtutéſque complectitur:) inſerere laudabilia & heroa facta cùm Supremi Capitis, tum reliquorum hujus Ordinis Equitum.

Quartus eſt Rex armorum (illis *Toiſon d'or* nuncupatus) hic ut dignoſci faciliùs poſſit, geſtat cum torque Ordinis teſſerarium Scutulum aureum, inſignia ſupremi Principis ſeu Præfecti Ordinis referens. Ejus autem Miniſtri (quem virum eſſe oportet prudentiæ inſignis, & magnæ exiſtimationis, atque ad id munus cum dignitate gerendum idoneum) munus eſt legationes, quæ ad negotia Ordinis pertinent, obire; in egregia Equitum facta inquirere; ſincerámque eorum notitiam Secretario, quò deſtinato ad id volumini inſeri quantocyùs poſſint, tradere; in vigilia D. Andreæ Apoſtoli Equites ad Veſperarum officium, die verò ipſa ad Miſſarum ſolemnia convocare; iiſdem diem & locum Conventûs aut Comitiorum indicare; Supremum Ordinis Præfectum de Equitum, ſi

qui fortè è vivis exceſſiſſent, obitu certiorem reddere, aliáque ejusmodi præſtare officia. Sed de his exactiùs alibi, ubi leges de iis ab authore ſpeciatim conditæ referentur.

# CAPUT IV.

## *De habitu & inſignibus Ordinis Equitum æquè ac Miniſtrorum.*

IPſe nunc ſibi rerum Ordo videtur expoſcere, ut de Magnifico quoque hujus nobiliſſimi Ordinis & Societatis ornatu ac inſignibus non nulla ad pleniorem argumenti cognitionem dicamus. Qua in re ſciendum cumprimis eſt: Equeſtrem corporis ornatum hodie aliquantùm diverſum ab eo eſſe, quem Author Ordinis Philippus inſtituit, ſiquidem & *Carolus Audax*, quem *Juſtum* alii nuncupant, Philippi filius nonnihil in Equitum veſtitu mutavit, & Philippus II. Hiſpaniarum Monarcha non nulla ad priſtinum ornatum adjecit.

Et Philippus quidem inſtitutor togam primum interiorem laneam ad talos usque productam geſtari ab Equitibus voluit, quæ purpurei eſſet coloris, manicásque haberet non fluentes ac latas, ſed anguſtas nonnihil, &, ùt hodie interior eſſe veſtis aſſuevit, adſtrictas; quæque orâ ſupernè paulùm elatiori ipſum quoque collum arcto cinctu contegeret. Hanc pallio eadem ex materia concinnato tegebant; quod ſupernè, quà humeros pectúsque reſpicit, nusquam diviſum: ſuprema duntaxat parte hiatu tanto patebat, ut commodè geſtantis caput admitteret; id, æquè ac toga interior, ad imam usque humum circum undique defluebat; attamen ut ſua eſſet brachiis manibúsque libertas, ab humero ad imum usque limbum utroque latere fiſſum patebat. Caput capitiis coccineo itidem è panno factis ornabant; è quibus longior quædam lacinia ad ſinum usque promiſſa ferebatur, collo, ùt eorum temporum uſus ferebat, adversùs aërem frigoráque tegendo. Cæterùm, ut plus magnificentiæ ac ſplendoris is ornatus haberet; limbum pallii omnem cum ipſis etiam lateralibus, quas dicebam, fiſſuris acu phrygiâ picti igniarii calybes ſilicésque ac emicantes indè ſcintillæ velleráque ornabant; lemmate inſuper ordinis eâdem acu in hæc verba adjecto, ac identidem repetito: *Autre n' auray*, quo quidem lemmate id indicare Philippus Author Ordinis voluit: eum, qui in hunc Ordinem adſcriptus ſit, Equitem, alterum ſuſcepti hujus Ordinis finem non habiturum, quàm defenſionem Fidei Catholicæ Apoſtolicæ ac Romanæ; eundémque alteri porrò Ordini obnoxium ac obſtrictum eſſe non poſſe. Vide librum, cui tit. *la Toiſon d'or, ou Recuel des ſtatuts* pag. 298. eámque ob rem in ipſis etiam ſtatutis Ordinis ſanxit, ut, ſi quis eorum, qui in hunc ampliſſimum *Aurei Velleris* Ordinem adlegi vellet, alteri cuipiam hujusmodi eſſet Societati adſcriptus: is id imprimis curaret, ut nuntium ei quamprimùm remittat, Regibus unis Ducibúsque ab hac lege exemptis.

Addidit & interiorem palliis ornatum: pellem muſtellæ ponticæ; aut, ùt alii malunt, pelles ex Sciurorum (quos *Menuvair* Galli dicunt) ventriculis tergíſque alternatim apto nexu conſutis; quibus ſubduci interiùs dicta pallia voluit. Atque hunc ornatum Principi æquè ac Equitibus communem ſuo quisque ſibi ære curabat; Miniſtri quoque nihil ferè differebant à cæteris, niſi quòd eorum amictui igniarii ſilices, calybes, velleráque auro picta abeſſent. Atque hoc ornatu inſignes & ipſis ſe in Comitiis Capitulíſque ſiſtebant; & in Eccleſia dictò Conventui deſtinata ad pridianas Veſperas, ac inſequenti die ad ſacrum

Miſſæ


PER TOT DISCRIMINA
Post mortem Caroli sinè Capite Burgundia fuit
ut ne diu eſset, fortuna et Virtus Maximiliani effecit:
Cui Conjugale foedus cum Maria Burgundiam,
Burgundia Supremam in hoc Equitum Ordine Dignitatem,
Imò Virtutis Supremæ testimonium contulit;
Quâ et Oenipontanæ olim è rupis præcipitio Salvus,
Et è Brugensium consceleratorũ manibꝰ illæsꝰ,
Princeps Deo charus evasit.
Is Domum Austriacam Primus Torquatam reddidit,
Primus Aureum Vellus Cæsareo Diademate coronavit.

Miſſæ officium in honorem Divi Andreæ celebrandum conveniebant. Eâdem porrò die poſt meridiem ad habendas pro defunctis Ordinis Fratribus vigilias, ac ſubinde tertiâ ad Miſſarum ſolemnia, pro iisdem defunctis celebrari ſolita, pullo amictu, ad terram usque promiſſo, induti, capitiiſque item pullis cum defluente inde lacinia contecti veniebant. Atque hunc quoque veſtitum ſuis ſibi ſumptibus parare ſingulos oportebat.

Tametſi in prima Ordinis inſtitutione, ùt ex Julii Chifletii *Breviar. Hiſt. Ord. Aur. Vell.* teſtatur Pirken *in Auſtr. ſpec. hon. l. 4. c. 7.* diverſus nonnihil Equitum amictus extiterit; cùm brevicula pallia (qualia eſſe peregrinorum nunc ſolent) iis, quæ ſupra dixi, ſilicum calybúmque ſymbolis ornata, pellibúſque ſubducta, vix, ad cubitum usque, manus obtegerent; ac talaris ſubtus toga eadem pariter ornamenta in extima veſtis orâ referret. Ex quo ipſo aſſumpto primùm *Viatorii*, *ac breviculi pallii* amictu haud abſurdam ducere conjecturam licet: Authorem Philippum peregrè regiones exteras petere, ac potiſſimùm terram ſanctam ſub Barbara Saracenorum tyrannide gementem eruere, Equitibus in Societatem adſcitis, apud animum ſuum conſtituiſſe; id quod capite præcedenti oſtendimus.

At verò (ne in avia ab argumento deflectam) cùm Carolus Audax Philippi filius, idémque à morte Patris Ordinis hujus Supremus Princeps videret Equites, dum in Comitiis ſe ſiſterent, interiori quidem amictûs colore inter ſe convenire; exterioris tamen pallii (cui, ùt idem Pirken *loco cit.* refert, certum colorem nullum Philippus ſtatuerat) ornatu, multùm alterum differre ab altero; quòd violaceus huic, illi roſeus, nonnulli citrius, aureúſve, atque ita paſſim alius color aliis in hoc, quod dixi, veſtimenti genus adhiberetur; ſapienter ac providè ſtatuit, ut hujus quoque pallii color idem omnibus eſſet. Quamquàm hujus ipſius Authoris opinioni undecunque deſumptæ apertè adverſentur ipſa Ordinis ſtatuta, in quibus *conſtit. 25.* verbis minimè ambiguis pallia coccinei coloris eſſe debere, ipſe quoque Philippus Author conſtituit, ut proinde eam colorum diverſitatem in interiori potiùs talari toga uſurpatam exiſtimem. Verùm quidquid id rei fuerit, non laboro magnopere. Illud certum eſt, ſtatuiſſe hunc Ducem Carolum habitis anno 1473. Valentianis in Hannonia Equitum Comitiis, ut & ad majorem coloris uniformitatem, & ad ampliorem ornatûs hujus Equeſtris magnificentiam, pallia ſimul & cucullata Equitum ac Miniſtrorum prædictorum capitia, quin & ipſæ talares corporíque adjacentes tunicæ non ex laneo, ùt antehac; ſed ex holloſerico purpurei coloris panno conficerent; ac pallia quidem & cucullata capitia (ita longiſſimo ſyrmate ad imam usque dorſi ſpinam defluens capitis tegumentum vocamus) panno ſerico, id eſt, multitio albo (abolitis priſtinis ſeu muſtellarum ſeu ſciurorum pellibus) ſubducerentur. Cæterum Phrygii laboris ornatum, qui limbum pallii omnem ambiret, eundem, quem Genitor Philippus inſtituerat, manere voluit; lemmate duntaxat mutato: ita, ut pro Patris epigraphe: *Autre n' auray*, quod eſt: *Alterum non habebo*, ſubſtitueret paris ferè ſententiæ veteri Burgundorum linguâ alteram: *Je l'ay emprins*, quod eſt: *Ego illum ſuſcepi*, quod lemma in eo ſolùm differre à priori videtur, quòd ſuo Philippus lemmate *in futurum* alterum ſe Ordinem ſuſcepturum neget: at Carolus *in præſenti*, iſtum ſe Ordinem ſuſcepiſſe affirmet. Has autem togas, aut pallia potiùs, ſupremi ipſius Præfecti ſumptibus parari pro ſingulis Equitibus voluit, atque à Theſaurario Ordinis in Conventuum & Comitiorum uſus aſſervari. At verò interiores talares tunicas, uti factum antehac fuerat, ſuo quisque ſibi peculio comparabat. Miniſtris tamen Ordinis & pallia (ſed phrygio illo ſilicum calybúmque ornatu deſtituta) & tunicas interiores tum,

cùm primùm ad Ordinis Miniſterium aſſumebantur, ſupremi Principis ſumptibus, ut curarentur, conſtituit.

De pullo porrò amictu ſecundâ die in funebribus, ùt ſupra dictum eſt, Sodalitii hujus feſtis uſurpari ſolito nihil penitus immutavit; ac proinde eodem, quo priùs, laneo uti veſtitu permiſit, cui tamen ornatus ex auro nullus ineſſet.

Tertiâ verò Solemnium die, quæ Deiparæ Virginis honori deſtinata fuerat ab Authore Philippo, & quâ Equites ſinguli amictu, quo placuiſſet, induti, ad rem divinam convenire de more ſolebant; quoniam Divinæ huic Matri Virgini peculiari quadam ratione addictus Carolus erat; eam ob rem, ut his quoque MARIANIS Ordinis ſui ſolemniis aliquid ſplendoris accederet, ſuæ in puriſſimam Virginem pietatis inſtinctu permotus inſtituit, ut Equites ſinguli Damaſcenas albi coloris talares togas induti, paribúſque palliis, ſed capitiis tamen rubeis tecti, ad Divina in templo peragenda venirent.

Demum ut laneus amictus omnis penitùs aboleretur, pullas quoque in defunctorum exequiali officio adhiberi ſolitas veſtes cum pallio, capitíſque tegumento ex holoſerico fieri panno Philippus II. in Gandavenſibus anni 1559. Equitum Comitiis decrevit; atque ex eo tempore Purpurea æquè ac pulla Ordinis veſtis ex heteromallo ſeu holoſerico; Candida verò ex Damaſceno cæpit panno geſtari.

Verùm cùm ſucceſſu temporis Equeſtria comitia in longum tempus differri primùm ac poſtea penitus intermitti cæpiſſent; hæc pariter veſtitûs ſumendi aut mutandi ratio ſenſim in deſuetudinem ita venit, ut rariſſimus ac propè nullus ejuſdem uſus ſupereſſet. Quare, ut ne penitùs hoc inſtitutum tam nobile, magnificúmque concideret, Philippus IV. Hiſpaniarum Rex ac ſummus Ordinis Princeps anno 1631. datis ad Iſabellam Hiſpaniarum Infantem, & Belgicarum Provinciarum Gubernatricem literis & eundem rurſus uſum inſtauravit, & Privilegia inſuper, quæ alio nos locô referemus, Equitibus, quoties hos Ordinis amictos adhiberent, conceſſit. Vide de his Chifletium *in Brev. Hiſt. Ord. Aur. Vell. Sigiſmund. Birken in ſpec. hon. Auſtr. loc. ſæpè cit.* Item librum, cui titulus: *La Toiſon d'or ou Recueil des ſtatuts & ordonnances du noble Ordre de la Toiſon d'Or, pag.* 297.

Sed enim non in ſolo hoc amictu magnifico omnis nobiliſſimorum horum Equitum ornatus conſiſtit; accedunt alia inſuper non minùs aut magnifica aut decora Torquis Auro affabrè elaborati inſignia, quæ adlectis in hunc ampliſſimum Ordinem heroibus, ſiquidem ii præſentes ſint, ab ipſo Supremo Ordinis Præfecto propriis manibus in collum inſeri ſolent; aut ſi abſentes fors degant, delegatâ ab eodem authoritate, vel per exterum Principem, vel per ſubmiſſum Ordinis Miniſtrum circumponi eorum humeris conſuevêre.

Eſt autem is torques aureus, pluribus juncturis nexilis, atque artifici auri imitatione calybes & Pyrites ſeu igniarios ſilices unà cum ſcintillis (ex quadam veluti colliſione inde promicantibus) refert; cujus è medio Aureum Colchici Velleris ſimulacrum dependet in pectus. Ornamentum ſanè magnificum, & vel ipſis quoque ſummis Orbis Monarchis non indecorum. Quod tamen cur ex igniariis, quæ dixi, inſtrumentis confectum ſit, indè & ego haud invitus eveniſſe crediderim cum authore libri ſæpe citati, cui titulus: *La Toiſon d'Or.* &c. pag. 262. quòd hi calybes ignem è ſilice excutientes vetuſtum fuerint Burgundicæ Domûs ſymbolum, ad quod alluſiſſe viſi ſint Jacobinæ Bavaræ cognati Principes ac Brederodiæ præſertim Domûs Toparchæ, qui in Joannis Burgundiæ Ducis nuptiis, cum eâdem hac Jacobinâ Bavarâ celebratis, in inſignibus geminos baculos expreſsêre, qui colliſi flammas ſpargere videbantur cum adſcripto

lemma-

lemmate: *Flammeſcit uterque.* Quò eâ veteris Burgundorum ſymboli imitatione mutuum inter novos hos conjuges amorem deſignarent. Nec abludit ab hac opinione Miræus *in orig. Equeſtr. Ord. l. 2. c. 1. pag. 62.* qui, „ quod Ignilia ſeu „ Ignitabula ſilicem ferientia, ignémque excutientia attinet, fuiſſe id ſymbo- „ lum ſive emblema Joannis intrepidi Burgundiæ Ducis Flandriæque Comitis„ ait. Atque idem hoc ſymbolum non ad amorem & benevolentiam mutuam, ſed ad diſcordiam potiùs, animorúmque colliſiones is refert, quæ inter eundem hunc Joannem Intrepidum Philippi Boni parentem, ac Ludovicum Aurelianenſem Caroli VI. Galliarum Regis fratrem exortæ, & ipſi Intrepido fatales fuêre, & univerſam propè Galliam funeſtiſſimo belli incendio involvêre. Cùm enim Rex Carolus VI. pertinaci morbo afflictus ad regni gubernacula, vicariâ poteſtate tractanda, Ludovicum fratrem conſtituiſſet, ac Magnates eum, quòd ob ætatis imprudentiam tantæ moli ſuſtinendæ minimè videretur idoneus, rerum procuratione moviſſent, eámque Burgundioni Philippo Audaci, qui Joannis Intrepidi Pater erat, dediſſent; inde factum eſt, ut Aurelianenſis eâ re vehementer offenſus, non obſcuram in Burgundiones ultionem meditaretur; quam cùm in Patre non poſſet, exequi poſt hujus mortem in filio (Joanne ſcilicet Intrepido) ſtatuit; conductúmque Sicarium, qui eum perderet, miſit: verùm hic, proditione cognitâ, eundem illum Sicarium, duplicato facinoris pretio, ad Aurelianenſem trucidandum conduxit; atque ita fraudem hanc impiam in ipſum fraudis Authorem convertit. Ita *Franc. Haræus in Annal. Duc. Brabant. pag. 374.* ubi ex Joanne Bavaro hæc verba Chronologi Leodienſis adducit: „ Hoc anno „ (nempe 1407.) Ludovicus Dux Aurelianenſis, Frater Caroli Sexti Francorum „ Regis conduxerat quendam, ut Joannem Burgundum proditoriè perderet. „ Reſcivit hoc ille, & ait: Perde illum, qui te miſit, & conduplicabo merce- „ dem tuam; & factum eſt ita, die 22. Nov. feriâ 3. Pariſiis poſt cænam: cujus „ occaſione plus decies centena millia hominum periiſſe leguntur. „ Vid. Haræum *loc. cit.*

Cæterùm hac cæde magìs etiam irritati ſunt Aurelianenſium animi, eáque præcipuè fuiſſe cauſa exiſtimatur indigniſſimæ cædis authore Carolo Franciæ Delphino (qui poſtea VII. hujus nominis Rex Franciæ extitit) in Joannem admiſſæ. Quam ex Mejero prolixè deſcriptam idem Haræus *pag. 390.* exequitur, aitque Delphinum, cùm paulò antè die ſcilicet 11. Julii pax & amneſtia omnium præteritorum inter eum & Joannem ſanctè jurata, ac 29. ejusdem menſis renovata rurſum & confirmata fuiſſet; contuliſſe ſe cum multis armatorum millibus Montereliam (alii Monteriolos, aut Montem regium dicunt) Burgundionémque ad ſe accerſiviſſe eâ (ùt ſimulabat) de cauſa: utì unà Conſilium de Anglis è regno repellendis inirent. Ibi verò cùm ſe ſtitiſſet Burgundus decem duntaxat nobilibus comitatus,& colloqui cum Delphino inciperet, à Taneguyo quodam, ſecuri parvâ repentè in cervicem valido ictu impactâ proſtratum, trucidatúmque fuiſſe, vidente id facinus & approbante Delphino; cui tamen carò deinde hæc cædes ſtetit; quando graviſſimo continuorum ſexdecim annorum bello à Joannis filio Philippo Bono atque Anglis petitus eò redactus jam erat; ut Regno propè omni ab hoſtibus ſubacto ipſum jam etiam Regis nomen amiſerit: paſſim non jam Carolus Rex Francorum, ſed *Carolus Francus, Rex Bituricarum* (vulgò *de Bourges*) per contemptum vocatus. Et actum certè de florentiſſimo illo Regno fuiſſet, niſi ſingulari Numinis providentiâ per decantatam illam Virginem Aurelianenſem reſtitui rurſus Gallorum res collapſæ cæpiſſent. Neque omittendum hîc illud eſt, quod Sincerus in Itinerario Galliæ *fol. 260.* ſcribit: videri nempe etiamnum Joannis Intrepidi Monteriolis occiſi

Cranium, immani apertura hians, Divione apud Carthuſianos. De quo cùm Franciſcus I. quæſiiſſet: ecquid immane illud ſibi oſtium in hoc Cranio vellet? Reſpondiſſe perargutè è Monachis quempiam: per hoc oſtium multa Anglorum millia in Regnum Galliæ penetrâſſe. Quos nempe Philippus Bonus, ut Patris cædem vindicaret, in Galliæ totius exitium in hoc regnum armavit.

Sed ad inſtitutum, unde paululùm non iratô, ùt opinor, lectore deflexi, nunc redeo; & calybes igniarios aut ex avito Burgundicæ domûs, aut paterno certè Joannis è ſymbolo à Philippo deſumptos & in hoc Aureum nobiliſſimorum Equitum ornamentum translatos cum Miræo exiſtimo potiùs, quàm ut cum Golluto *pag. 276.* è duabus literis *B.* ſibi obverſis (quarum alterâ *Burgundiæ Ducatum*, alterâ *Burgundiæ Comitatum* ſignificari vult) hos Torquis Aurei nexus coaluiſſe credam; neque enim intelligo: quo pacto ſcintillas igneas è litera hac utùt duplicata author ille eliciat: neque aſſequor, quæ eſſe binis his literis convenientia cum ſilicibus interpoſitis poſſit. Itaque Chifletium potiùs ſequor, & Jacobum Marchantium, qui in ſua Flandria *lib. 3.* ſic ſcribit: „ Quibus ſingulis „ - - Aureum torquem, inſertis paternis emblematis ignitabuli, ſcintillas è ſi- „ lice extundentis, ſpecioſum attribuit. „ Ac poſtremò manifeſtè id evincit ipſorum Ordinis ſtatutorum lex tertia, cujus hæc verba ſunt: „ Nos unicuique „ eorum ſymbolum ſive inſignia attribuemus, nempe Torquem Auream, in qua „ noſtra inſignia inſculpta ſpectentur; ita fabrefactam, ut particulæ invicem „ catenatæ atque implicitæ repræſentent ea ferramenta igniaria, quæ vulgò „ Galli *Fuſilz* vocitant, quibus adhæreſcant ſilices ſcintillantes. „ Et ſic expoſito *calybum ſilicúmque ſcintillantium* ſymbolo perquàm appoſitè ſequens lemma adſcripſit vir multâ clarus eruditione Claudius Paradius: *Antè ferit, quàm flamma micet.* Quod Sylveſter Petra Sancta è Societate JEſu: ita deinde interpretatus eſt in ſymbolis ſuis heroicis *pag. 397.* ut diceret, eo ſignificari: Inclytos hos ſanguine pariter & virtute heroës antè acribus ad inſolitam virtutem ſtimulis impelli, cœlitúsque afflari; exinde verò emicare eosdem in flammas fidei & religionis vindices, & in lucem heroicam militaris gloriæ effulgere. Eâ verò epigraphe, quam idem, quem laudabam, Paradius adnexo *Velleri Aureo* in hæc verba ſubjecit: *Pretium non vile laborum*, non obſcurè videtur innuere: hoc tam inſigne hujus Velleris decus nonniſi iis conferri, qui præclarè ſunt de republica & de Principe meriti; ac proinde quemvis, qui huic ampliſſimo Ordini eſt adſcriptus, eum luculentum virtutis ſuæ, grandiúmque meritorum teſtimonium in ipſo hoc inſigni circumferre. Vel, ùt antè memoratus Petra Sancta exponit: videntur hac teſſerâ ipſi Equites polliceri, futurum, ut & ipſi heroës priſcos quà famâ, quà factis fortibus æmulentur; quò, pari olim gloriâ, eorum faſtis mereantur inſcribi. Eſt itaque id *Aurei Velleris* decus, & rerum præclarè geſtarum illuſtre præmium, & gerendarum nobile incitamentum.

Ubi tamen animadvertendum eſt, honorem hunc vel hoc ipſo ex Capite, quòd tanquam fidei & inſolitæ virtutis præmium Viris Illuſtribus conferatur, hæreditarium haudquaquam eſſe; ac proinde Torquem hunc Aureum poſt cujusque Equitis mortem ad Principem ſeu ſupremum Ordinis Præfectum remitti à defuncti Equitis cognatis aut hæredibus debere, ut alteri cuipiam benemerito conferri poſſit. *Sebaſt. Münſter. Cosmogr. l. 3. c. 204. Art. 39. Nolden de ſtatu Nobil. c. 6. n. 32. Knipſchilt de Nobilit. l. 1. c. 2. n. 68.* Neque tamen omnem honoris tanti memoriam per mortem intercidere exiſtimandum eſt: ejus ſiquidem, qui Torquem hunc geſtavit, inſignia ad æternam herois, honoríſque ab eo geſti, memoriam ita hoc Torque augentur; ut extimum eorum limbum hic *Velleris Aurei* ornatus perpetuis temporibus ambiat. At verò ſi quis electus quidem in

Ordi-

Ordinem, at nondum potitus hoc Torque eſt; illius, ſi mortem interim obeat, ne inſignibus quidem hunc Torquem addere fas eſt, niſi tamen in prælio cum hoſte fortiter dimicans cecidiſſet; tum enim ob ipſam hanc virtutis bellicæ famam vivere etiam poſt fata cenſetur: atque ita frui hoc privilegio poteſt, ut inſignia ſua hoc, qui illi decretus eſt, Torque & Vellere augeat. Ita olim egregio illi Cæſareorum exercituum Duci, & in hunc Ordinem adlecto Comiti *Pappenheimio*, qui ex acceptis in prælio Lutzenſi vulneribus ante acceptum Torquem Aureum obiit, permiſſum tamen eſt, ut ad ejus inſignia in exequiis Pragæ, ubi ſepultus eſt, celebratis, hic Torques Ordinis (ad quem electus & nominatus jam fuerat) adjungeretur, utì teſtatur author libri, cui titulus: *La Toiſon d' Or*. pag. 264.

Cæterùm ſi quis Torquem hunc incuriâ ſuâ amiſiſſet, curare alium ſuo ære tenetur: ſi verò vel in pugna cum hoſte eum frangi aut deperdi contigiſſet; aut alio ſiniſtro caſu, ùt incendii, naufragii, aut prædonum &c. amiſſus præter ſpem & opinionem fuiſſet; tum eâ reſtituendi Torquis obligatione abſolvitur: & contigiſſe id cuidam Domino *de Neuhaus* Supremo Regni Bohemiæ Cancellario teſtatur *in ſuo ſpeculo honoris Auſtriaci l. 4. c. 7.* Sigismundus de Birken; qui cùm omnia impedimenta naufragiô in Danubio amiſiſſet, ſubinde non Torquem, ſed fragmenta aliquot ex aquis recuperata reſtituit.

## §. II.

### *Quando Torques Aureus geſtari ab Equitibus debeat. Et quod idem Torques Gentilitiis Equitum inſignibus adjungatur.*

Ut verò etiam quis hujus Torquis uſus & olim apud Equites hujus Ordinis fuerit, & hodie apud eosdem ſit, cognoſcamus; ſciendum eſt ex Philippi Boni inſtitutione Inſigne hoc Velleris Aurei unà cum Torque quotidie palàm, atque detectum, ùt ex regula tertia videre eſt, geſtari ab Equitibus ſingulis debuiſſe; adeò, ut, qui id neglexiſſet, ei quatuor ſolidorum Francicorum mulcta in Miſſæ unius celebrationem, atque rurſus aliorum quatuor ſolidorum in eleemoſynam, pendenda fuerit toties, quot diebus geſtatum hoc inſigne non fuit. Quodſi tamen vel militaris quæpiam expeditio, vel pugna inſtaret; tum cuivis fas erat, ſolum Velleris Aurei ſignum, appenſum pectori, ſinè Torque geſtare. Atque id ipſum facere licebat Equitibus quotiescunque in itinere aut peregrinatione periculum aliud pertimeſcendum cuipiam fuerat. Idem que intelligendum de iis eſt, qui aut morbo afflicti decumbebant, aut Torquem aurifici reficiendum dedêre. Duravitque hic uſus ad usque Caroli V. tempora; qui quotidianam ejus Torquis geſtationem perquam incommodam eſſe & gravem Equitibus animadvertens, inſtitutoris legem ita moderatus eſt, ut majorem hunc Ordinis Torquem nonniſì ſolemnioribus quibusdam feſtis geſtari debere conſtituerit; cæteris per annum diebus, ut in ſerica rubra vel aureâ tænia appenſum pectori Vellus deferretur, indulſit. Vide *Joan. Chriſt. Lünig. in Theatr. Cerem. Part. 2. c. 26. Art. 5.* Dies autem geſtando Torqui majori deſtinati ex conſtitutione Philippi II. Hiſpaniarum Regis anno 1593. facta ſequentes ſunt, ùt habet author libri: *La Toiſon d' Or. pag. 303.*

Menſe Januario: Feſta Circumciſionis Domini. SS. trium Regum, & Converſionis S. Pauli Apoſtoli.

MenſeFebruario: FeſtumPurificationisB.M.V. & feſtum S. MathiæApoſtoli.

Martio: Feſtum Annunciationis B. M. V.

Majo: Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi.

Junio : Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, & S. Pauli Apoſtoli. Addit his Lünig *in ſuo cerimoniali* etiam diem S. Barnabæ Apoſtoli.

Julio : Feſtum Viſitationis B. M. V. & S. Jacobi Apoſtoli.

Auguſto : Feſtum Aſſumptionis B. M. V. & S. Bartholomæi Apoſtoli.

Septembri : Feſtum Nativitatis B. M. V. & S. Matthæi Apoſtoli.

Octobri : Feſtum SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.

Novembri : Feſtum Omnium Sanctorum, & S. Andreæ Apoſtoli; proximè item ſequens aliqua poſt feſtum hoc dies, quo celebrantur pro Equitibus defunctis exequiæ.

Decembri : Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. M. V. & S. Thomæ Apoſtoli Addit Lünig *in cerimoniali* etiam Feſtum Expectationis partûs B. M. V. Feſtum Nativitatis Domini; S. Stephani; S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, & SS. Innocentum.

Quibus accedunt Feſta Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Tenentúrque majorem hunc Torquem etiam in primis & ſecundis veſperis feſtorum nunc dictorum geſtare; & quoties, diebus modò dictis, ex ſuis legibus ad Eccleſiaſticum officium comparere, vel ad aliud quodvis negotium in publicum prodire debebunt.

Denique ornatos hoc Torque eos comparere neceſſum eſt, & in obſequiis funerariis, quæ ſeu pro ipſo ſupremo Ordinis Capite, ſeu pro Equitibus cæteris celebrari continget; ac in omnibus conventibus aut actibus ordinariis, vel extra ordinem à ſupremo Capite vel ejus Vicario indictis; in quibus de re quapiam, ad Ordinem pertinente, agetur. In præcipuis item Aulæ ſolemniis, & quoties Legatus quiſpiam vel aliunde adveniens recipitur, vel abſcedens à Supremo Ordinis Præfecto dimittitur.

Accedebat ad hæc & alius quondam honor Equitibus, qui non corpora horum, ſed locum, cuique ex legibus Ordinis in Comitiis deſtinatum, ornabat. Apponebantur ſiquidem eo, quo quisque ſedem occupare debebat, loco Equitis ibidem aſſeſſuri inſignia picta, aureo Ordinis Torque circumdata, quibus galea (quod ſingulare horum Equitum decus eſt) plenè inaurata & aperta, ſupernè ita imminebat, ut obliquè nonnihil deflecteretur in latus; Recta ſiquidem galea & antrorſum in intuentes obverſa non niſi ſupremis Ordinis Capitibus, Regibúsque in eum adſcitis admittebatur; quòd hujusmodi galea pro ſymbolo haberetur poteſtatis ſupremæ, nec ab alio ullo, quàm à ſolo Numine dependentis; utpote quæ poſſit & debeat videre omnia, & ſcire; & ſinè omni impedimento, quodcunque lubeat, imperare. In cujus rei teſtimonium vide librum Joannis Baptiſtæ Maurice cui titulus: *La Blaſon des Armoiries de tous les Chevaliers de l'Ordre de la Toiſon d'Or.*

Siquis autem electus quidem in nobiliſſimam hanc ſocietatem fuiſſet, præſentem tamen ſe ad recipiendum Torquem in Comitiis nondum ſtitiſſet; ejus quidem ſedili affixum ſcutum videbatur, ſed quod ejusmodi eſſet, ut ſolum Torquem, ſcutum illud ambientem, adſcriptúmque ſupernè Equitis electi Nomen cognoménque referret; inſignia verò familiæ nulla apponebantur in ejus ſcuti interiori ſinu, priusquam de more Torquem Ordinis ſuſcepiſſet; teſtatúrque author ſæpe citati libri: *La Toiſon d'Or.* Reperta fuiſſe plura hujusmodi ſcuta, in interiori ſinu vacua, in Eccleſia Cathedrali Gandavi cum ſequentibus inſcriptionibus: *Pour D. Charles par la grace de Dieu Prince des Eſpagnes. Pour le Duc de Cardona, & Segorbe. Pour le Duc de Medina de Rio ſecco.* Id eſt: „ Pro Domino „ Caro-

„ Carolo Dei gratiâ Hiſpaniarum Principe. Pro Duce de Cardona & Segorba. „ Pro Duce Medina de Rivo ſicco. „

Contra verò eorum Equitum, qui mortui poſt ultimum Capitulum fuêre, in Comitiis, eorum mortem proximè ſubſequentibus, inſignia *absque galeæ criſtarúmve ornatu* ita exponi in loco Comitiorum ſunt ſolita, ut ſolus ea Torques ſupernè in nodum collectus circumdaret. Quod ſi Rex fortè is, qui deceſſit, fuiſſet; tum ſupra dictum Torquis conſtricti nodum exigua pingebatur corona, eáque ſupernè patula: addebatúrque ad inſcriptum ibidem Equitis nomen vox gallica: *Trespaſſé*, quæ illum obiiſſe indicaret. Sic Mechliniæ in Comitiis anni 1491. duodecim hujusmodi mortuorum inſignia idem author viſa eſſe affirmat cum inſcriptione ſequenti: *Tres-haut & tres-puiſſant Prince Edouard d' Angleterre & d' Irlande Tres paſſé. Tres-haut & tres-puiſſant Prince D. Jean Roy d' Aragon Tres-paſſé. Jean Duc d' Alençon, Comte de Perche Tres-paſſé* &c. Id eſt: „ Celſiſſimus & Potentiſſimus Princeps Eduardus Rex Angliæ & Hiberniæ *mortuus.* Celſiſſimus & Potentiſſimus Princeps D. Joannes Rex Arragoniæ *mortuus.* Joannes Dux Alenconius, Comes Perchii *mortuus.* „

At ſi is, qui defunctus erat, electus quidem in Ordinem, ſed Torque tamen donatus non eſſet, huic ſcutum nigrum nullis pictum familiæ inſignibus, nullo Torque circumdatum, ponebatur, eíque nomen duntaxat & cognomen familiæ characteribus aureis inſerebatur; quale hodiedum videre eſt Hagæ, cui inſcripta hæc verba ſunt: *Meſſire Pedro de Cardona Comte de Golizano, qui fut trouvé mort pour ceux, qui eurent le charge de luy porter l' Ordre; à cette cauſe ne le receut point.* Quod eſt: „ Dominus Petrus de Cardona, Comes de Golizano, qui „ fuit repertus mortuus ab iis, qui ex munere ſibi commiſſo ei Ordinem (id eſt, „ Torquem Ordinis) ferebant; atque hanc ob cauſam eum non recepit. „

Neque plura, quæ hîc adjungam, reperio; niſi unum iſtud; nempe Ordinem hunc, qui velut arctiſſimum quoddam fœdus eſt ſinceræ genuinæque amicitiæ & fidei, quâ præcipuè Capiti primùm, deinde verò & membris ſingulis ſe obſtringunt ii omnes, qui in hunc laudatiſſimum Ordinem & amicabilem Societatem recipiuntur, nequaquam admittere, ut hoſtili quispiam animo in ſupremum Ordinis Caput ſit; atque eapropter lege cautum eſt, ut, ſi quis Equitum bellum inferre Supremo Ordinis Præfecto vellet, is remittere priùs eidem Torquem Aureum, ac renunciare Ordini debeat. Id quod egiſſe conſtat Carolum Emanuelem Sabaudiæ & Pedemontii Ducem, quem anno 1615. Vellus Aureum reſtituiſſe Regi Hiſpaniarum refert Author *Mellific. Hiſtor. part. 4. fol. 1180.* additque: „ Ducem id obſervantiæ in Regem ſuæ tribuiſſe; quòd ſe armis defendere contra illum, niſì reſtituto Velleris Aurei Torque auſus non eſſet: ac „ indignum cenſeret, ſi Torquatus Eques contra Supremi ſui Capitis arma, etiam „ in defenſionem ſuam arma corripiat. „ Ita Author cit. & Gryphius *in Breviario Ordinum* §. 39. *pag.* 265. citans Antonii Poſſevini hiſtoriam belli Montferratenſis *fol.* 377.

## §. III.

### *Quid per* Aureum Vellus Colchicum *ſignificârit Antiquitas.*

POſtremò quoniam hìc de inſignibus Ordinis ac de Aureo præſertim Vellere dictum eſt; quòd ex quadam Jaſonici Velleris imitatione deſumptum eſſe ex Jacobo Marchantio ſuperiùs annotavimus. Nihil extra orbitam deflexurum me credidi, ſi hoc loco, ecquid tandem Vellus illud Aureum Arietis Colchici fuerit, aut certè quid per illud denotetur, paucis expediam. Tametſi verò

rò ea de re certi nihil ſtatui poſſit; juvabit tamen variorum opiniones adducere, ex quibus eam ſequi quisque poſſit pro libitu, quam eſſe cæteris credibiliorem putabit. Et prima quidem opinio eſt, (de qua lege Ovidium *11. Metamorph.*) *Hellen* Athamantis Thebarum Regis & Nepheles filiam, quod Inus Novercæ inſidias novercales metueret, unà *cum Phryxo* fratre è domo patria profugiſſe: quibus per nemora errantibus Nephele mater apparens Arietem Aureo Vellere inſignem dederit, quo conſcenſo ad Abydi usque fauces pervenerint. Ibi verò cùm in mare ſe Aries immiſiſſet. *Hellen* fœmineo timore perculſam decidiſſe in pontum, fluctibúsque hauſtam periiſſe, ac illud exinde mare *Hellesponti* nomen obtinuiſſe; *Phryxum* verò cùm,deferente eum Ariete,in Colchos feliciter perveniſſet, eundem ibi Arietem Jovi, quòd is fugæ ſuæ faviſſet, immolâſſe; pellémque ilici arbori in luco Martis, ejusdem Numinis honori affixiſſe; ipſum verò Arietem inter ſidera collocatum à Diis eſſe. Sed hæc pura puta eſt ſabula.

Alii,inter quos eſt *Pherecrates & Dionyſius in Argonauticis.* Pædagogum Phryxi adoleſcentis regii fuiſſe exiſtimant, cui nomen fuerit *Aries*, qui cùm ingenio ſagax inſidias Phryxo à noverca paratas ſenſiſſet; eundem, utì fugâ ſe ſervaret, monuerit, unáque comes fugienti acceſſerit, indéque locum eſſe fabulæ datum: quod *per Arietem* ſervatus Phryxus in Colchidem venerit; ubi cùm hic Pædagogus Diis ab Æeta mactatus fuiſſet, ejus excoriati pellis in templo affixa eſt. Dictum autem eſſe *Arietem aureum*, quòd ſapiens is vir eſſet,& conſilii maximi, ac proinde pretioſus & *aureus*: accepiſſéque ſubinde ex oraculo Æetam: tum fore, ut Supremum inſtet regno exitium, cùm oblata hæc illi pellis (*prudentia nempe conſiliúmque* neceſſaria regnorum fulcra) fuiſſet. Sublatum autem inter ſidera indè antiquitas fabuloſa confinxit: quòd (*ùt Lucianus in Dialogo de Aſtrologia* teſtatur) Phryxus deditus cumprimis aſtronomicarum rerum ſcientiæ fuerit.

Quidam contrà Arietem illum *navem* fuiſſe exiſtimant, quæ pictum *Arietem Aureum* in puppi haberet, eáque vectam eſſe *Hellen* & *Phryxum* autumant; ſed *Hellen* navigationis inſuetam & impatientem ex morbo ſub ipſum navigationis tempus obiiſſe, ac, ùt mos eſt navigantium, ejus cadaver in mare dejectum eſſe. *Phryxum* verò ad optatum portum, Colchos nempe, feliciter appuliſſe. Verùm hi, tametſi haudquaquam ineptè hac de re diſſerunt, de pelle tamen ſeu *Vellere* nihil expediunt, nec expedire poſſe videntur; niſi id forſan dicant: tabulas navis (ceu pellem quandam) revulſas eſſe in quibus pictus is Aries fuerit; eásque in luco ſuſpenſas Marti vel Jovi fuiſſe dicatas: pro quibus tamen adipiſcendis expeditionem tam inſignem ſuſceptam à Jaſone & præcipuis Græciæ heroibus eſſe, ægrè mihi perſuadeo. Nonnulli Velleris Aurei originem indè deducunt, quòd Colchidis incolæ villoſis arietum velleribus ex fluviis arenas aureas expiſcari ſolerent. Ita *Aldovrand. tom. ult. fol. 44.*

Alii Argonautas ſeu viros totius Græciæ Principes ad venas metallicas & auri feraces, quæ in Colchidis regione frequentes ſint, profectos eſſe exiſtimant; atque ita per *Vellus Aureum* has venas intelligi autumant. Ita *Joan Carion. in Chron. l. 2. fol. 188.* Additque Guthbertus *in Chron. fol. 88.* Hiſpanos ad Jaſonis & horum Argonautarum imitationem in Indias hodie ad auferendum indè aurum navigare.

Fuerunt item, qui per *Vellus Aureum* decantatum illum *lapidem Philoſophicum*, cujus adminiculo aurum confici ajunt, denotari ſentirent; per res verò admirabiles à Jaſone & ſociis in ſuſcepta ad rapiendum hoc vellus navigatione geſtas, varias & miras corporum chimicorum mutationes; quas præcedere neceſſe


QFI VOLET
Nihil mirum est
A tot fuiſse regnis expetitum Philippum.
Pulcher non corpore magis, quàm animo,
Orbis delicium dicebatur, et erat,
Sed breve;
Siquidem terrenum regnum vix adÿt,
Cùm ad Coeleste migravit:
Postquam Austriacum Nomen in Hispaniam intulit,
Et suis hanc posteris virtute sua firmavit.

ceſſe eſt: priusquam lapis ille mirabilis, & mirabilium patrator conficiatur. Edidítque ea de re ſingulare opus Guilielmus Mennenius, cui titulum *Velleris Aurei* fecit, Carolóque Duci Areſchoti & Croyi, hujus ipſius Ordinis Clariſſimo Equiti, dedicavit.

Suidas denique apud Majolum in *Diebus Canicul. tom. 4. colloq. 5. fol. 362.* vult *Vellus* iſtud *Aureum* librum in membrana, ex Arietum pellibus confecta, ſcriptum fuiſſe; qui artem, qua per chimiam aurum confici poſſet, oſtenderit: qui cum in Colchide aſſervaretur, Jaſonem ejúsque ſocios navigationem eo inſtituiſſe, atque ope Medeæ illo tandem libro fuiſſe potitum. Anne autem fructum ex eo libro aliquem deinde Jaſon retulerit, in incerto eſt hactenus. Illud multorum hodie experientiâ certum eſt, chimicos hujuscemodi libros opes paucis, extremam verò inopiam plurimis attuliſſe. Sed hæc aliis relinquimus; nobis retuliſſe hic ſatìs eſt, ecquid ſub fabuloſo *Arietis Aurei* nomine erudita occultârit antiquitas.

# CAPUT V.

## *Inſtitutionis Diploma; Ordinis Conſtitutiones & Regulæ; Addita item & mutata in Regulis, ac quatuor denique Miniſtrorum ſtatuta.*

Veniendum nunc eſt ad ipſas Celeberrimi hujus Ampliſſimíque Ordinis conſtitutiones & regulas, quas tantò nos libentiùs opuſculo huic noſtro inſerimus, quanto illæ luculentiùs & ea confirmant, quæ hactenus de florentiſſimi Sodalitii hujus inſtitutione retulimus; & ea pariter, quæ ſecuturis dehinc capitibus referemus. Nec verò dubium eſt, multo ſtudio conſilióque has leges eſſe ab authore conceptas; utpote quas non niſi decimo nono poſt primam inſtitutionem menſe in primis Ordinis Comitiis, quæ Inſulis Philippus Bonus indixerat, Equitibus obſervandas propoſuit, & non ſinè multa animorum conſenſione ab univerſis probari magnopere, atque recipi vidit. Et ſanè tanto ſtatim eſſe in pretio hæ leges cæperunt, ut Ludovicus XI. Galliarum Rex ob ſingularem & numeris omnibus abſolutam prudentiam, in his legibus deprehenſam, non dubitârit ſuiſmet eas manibus verbatim exſcribere, quo ſibi, ſimilem in Gallia Ordinem S. Michaëlis inſtituere meditanti, pro exemplari ſervirent. Vide libr. cui titulus: *La Toiſon d'Or. pag. 261.* Et multa ſanè eum ex his legibus in Ordinem ſuum transtuliſſe conſtat ex iis, quæ *Sanſovinus* in legibus ejuſdem Ordinis & Franc. Modius *in Pandect. triumph. tom. 1. lib. 2.* Ac Demum Petrus Matthæus *in Hiſt. Ludovici XI. lib. 5.* refert.

Sunt autem conſtitutiones hæ veteri Burgundorum idiomate ſcriptæ; quæ tametſi ab hodierna linguæ Gallicæ gratiâ longè abſit, ob reverentiam tamen conditoris Philippi, & quòd hæc lingua minùs ſit mutationi obnoxia, hodiedum nullo apice immutatæ perſiſtunt; tradíque ſingulis in hunc ordinem adlectis Equitibus ſolent. Ut verò & ab iis, qui linguæ Gallicæ ſunt ignari, intelligi commodiùs poſſint, à *Philippo Nigri* Octavo Ordinis hujus Cancellario in latium primò Sermonem translatæ, ac ſubinde à *Nicolao Nicolai*, quem *Grudium* alii nuncupant, Ordinis Secretario ſtylo paulò terſiori donatæ ſunt unà cum Additionibus illis, quas Supremis Sodalitii hujus Præfectis Philippi Boni ſucceſſoribus, adjicere placuit. Nos utraſque præmiſſo Philippinæ inſtitutionis diplomate fideliter in has chartas tranſtulimus.

## §. I.

### *Inſtitutionis Diploma, & primæ Ordinis hujus Conſtitutiones à Philippo Bono Authore Sodalitii conditæ.*

PHilippus, Dei Gratiâ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi: Comes
Flandriæ, Artheſiæ, Burgundiæ Palatinus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Namur-
ci: Marchio Sacri Imperii: Dominus Friſiæ, Salinarum & Mechliniæ: Notum univer-
ſis eſſe volumus, pro eximio affectu noſtro benevolentiáque ſingulari erga Equeſtrem Ordi-
nem (cui ornando & cohoneſtando, eâ imprimis gratiâ unicè ſtudemus, ut Chriſtiana pie-
tas & communis Matris noſtræ Sacroſanctæ Eccleſiæ ſtatus atque incolumitas, réſque ipſa
publica, atque univerſalis quies atque tranquillitas in tuto retineantur, quantúmque per
Nos fieri omnino poteſt, ſubſiſtant, ac vigeant) Nos ad ſummi atque omnipotentis Dei,
Creatoris ac Redemptoris noſtri laudem & gloriam, atque venerationem Sanctiſſimæ Virginis
ejus Matris, honorémque Divi Andreæ Apoſtoli & Martyris inclyti, & ad Fidei noſtræ Chri-
ſtianæ Sanctæque Eccleſiæ tutamen atque exaltationem, virtutúmque ac morum ingenuorum
excitationem atque augmentum, nuper, videlicet die menſis Januarii decimo, anno Domini
milleſimo quadringenteſimo, vigeſimo nono (quo quidem ipſo die, clariſſimam eandémque
chariſſimam Dominam Iſabellam, ídque adeò in noſtro oppido Brugenſi, nobis in matrimo-
nio junximus) inſtituiſſe Ordinem quemdam & Confraternitatem Equeſtrem, ſive Sodalita-
tem amabilem, certi numeri Militarium atque nobilium virorum (quem quidem Ordinem
Aurei Velleris appellatione inſignivimus) quemadmodum & per has ipſas litteras noſtras in-
ſtituimus: ídque pro modo ac ratione Conſtitutionum atque Conditionum ſubſequentium.

Cap. I. Principio volumus atque conſtituimus, ut Ordo hic conſtet triginta & uno vi-
ris Equeſtris dignitatis, qui nomine pariter & familiæ inſignibus nobiles (& quidem citra
omnem legitimam reprehenſionem) cenſeantur. Quorum in numero nos ipſi, quoad vive-
mus, futuri ſumus hujus ipſius Ordinis videlicet atque Societatis Supremus, atque Princeps:
póſtque deceſſum noſtrum, Succeſſores noſtri, Burgundiæ Duces. *Immutabile.*

C. 2. Deinde quicunque huic Ordini adſcribentur, eos, antequam initientur, renun-
tiare volumus omni, ſive Principis, ſive Sodalitii cujusvis Ordini, cui addicti priùs fuerint:
præter Imperatores, Reges, ac Duces: quibus ipſis, ut unà cum hujus Ordinis inſigni, ſive
ſymbolo deferre poſſint ſymbolum alterius Ordinis, duntaxat cujus ipſi Principes ſint atque
Supremi, ita demum conceditur, ſi Nos & Succeſſores noſtri, utpote hujus Ordinis Supre-
mi, unà cum Confratribus & Commilitionibus noſtris, hoc ipſum eis, in ſolemnibus hujus
ipſius Ordinis Comitiis, indulſerimus. Aliter enim licere minimè volumus. Nobis quoque
& Succeſſoribus noſtris hujus Ordinis Supremis, ſimili ratione liberum eſto, ſi viſum ita fue-
rit, unà cum noſtri hujus Ordinis ſymbolo, geſtare etiam ſymbola aliorum Ordinum: hoc
eſt, ab aliis, ſive Imperatoribus ſive Regibus ac Ducibus, inſtitutorum: non modò in teſti-
monium, atque augmentum mutuæ cum illis amicitiæ, fraterníque amoris; ſed etiam majo-
ris commodi procurandi gratiâ. *Immutabile.*

C. 3. Etenim ut noſter hic Ordo, atque Societas, ejusdémque Confratres, atque
Conſocii evidentiùs innoteſcant, atque emineant: Nos unicuíque eorum ſymbolum ſive
inſigne attribuemus, nempe Torquem Auream, in qua noſtra inſignia inſculpta ſpectentur;
ita fabrefactam, ut particulæ invicem catenatæ, atque implicitæ, repræſentent ea ferramen-
ta igniaria, quæ vulgò Galli *Fuſilz* vocitant; quibus adhæreſcant ſilices ſcintillantes. Ab
ima verò parte pendebit ſignum Velleris Ovilli Aurei. Ac proprietas quidem hujus Torquis
penès ipſum hunc Ordinem permanebit. Eam verò Nos ipſi, Succeſſoréſque noſtri, hujus
Ordinis Supremi, & univerſim omnes ejusdem Ordinis Equites, quotidie palàm, atque de-
tectam geſtabimus. Id qui neglexerit, mulctam ſolidorum quatuor in Miſſæ unius celebra-
tionem, totidémque in eleemoſynam, toties dependet, quot diebus ceſſatum fuerit. Mili-
tarium tamen expeditionum atque actuum tempus excipimus: tunc enim liberum erit uni-
cuique ſignum ipſum ſolum Velleris Aurei appenſum collo, ſinè Torque, geſtare, ſi cui ità
videbitur. Quòd ſi Torquem ipſam, caſu quopiam colliſam, reficere neceſſe fuerit, impunè
ſanè aurifabris concredi poterit, donec priſtinæ formæ reſtituatur. Idémque judicium eſto,
quoties propter peregrinationem aut adverſam valetudinem, aut ſecuritatis ratione, ſimilém-
ve ob cauſam, Torques geſtata non erit. Cæterùm augere Torquem ipſam, aut ornatio-
rem, illuſtriorémve reddere, gemmis appoſitis, aliáve quacunque ratione fas non erit. Mul-
tò verò minùs, aut vendere eam, aut pignori tradere, aut quovis tandem modo alienare
licebit.

C. 4.

C. 4. Quemcunque autem in hunc Ordinem legi continget, is initio ſtatim ſanctè promittat oportet, ſinceram & mutuam ſeſe amicitiam erga Nos primùm, Succeſſoréſque noſtros, ejus ipſius Ordinis Supremos, deinde & erga cæteros commilitones, eſſe conſervaturum: eorúmque dignitatem & commoda, pro viribus, procuraturum; neque eorum cujusquam famam atque exiſtimationem (quantum quidem in ipſo erit) maculari paſſurum; verùm honeſtis commodíſque rationibus tutaturum ſeſe eam eſſe. Atque adeò ſi quem fortè ipſe detrahere de cujusquam abſentis Commilitonis fama deprehenderit, nihil quidem diſſimulanter præſeferet: adſtringi ſe hujus Ordinis legibus, ut ejusmodi obtrectationes ad Confratrem deferat; ideóque ſcire ſe velle, an aſſeverare illa ſtatuat, nec ne. Ac ſi nec tum quidem ille à maledicendo deſtiterit, rem ipſam totam Confratri, cujus intereſt, primo quoque tempore palàm faciet. *Immutabile.*

C. 5. Itidem promittet initiandus, ſi quis fortè Nos, aut Succeſſores noſtros Supremos, ditionésve aut clientes & ſubditos noſtros afficere damnis, aut injuriâ moliretur; itémque ſi vel Nos ipſi, vel Succeſſores noſtri, pro ſacroſanctæ noſtræ fidei tuitione, conſervationéque aut reparatione ſtatûs, dignitatis, aut libertatis Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ, ſanctæve Apoſtolicæ Sedis, bellum facere contingeret; tum ſemetipſum præſtò, ſi modò commodâ valetudine utetur, adfuturum, opémque laturum eſſe: alioquin ſuffecturum ſibi vicarium idoneum; qui Nobis, juſtis tamen ſtipendiis, militet atque inſerviat. Niſi quam fortè habebunt excuſationem legitimam, juſtúmque impedimentum: cujus quidem Nos debebunt reddere certiores. *Immutabile.*

C. 6. Viciſſim verò Nos, ob ingentem benevolentiam, qua Confratres noſtros complectimur, próque ea fiduciâ, quam de ipſis certò concepimus, & noſtro & Succeſſorum noſtrorum Supremorum nomine, ultrò profitemur, pollicemúrque; nullum Nos, non modò bellum, ſed neque gravius ullum, aut paulò magìs arduum negotium ſuſcepturos eſſe, cujus non majorem partem priùs Confratrum noſtrorum præmonuerimus: ut videlicet eorum de iis ipſis rebus deliberationes atque ſententias diſcere poſſimus. Niſi quid erit tale fortaſſis, quod tam arcto ſilentio vel acceleratione tantâ indigeat, ut deliberari cum pluribus, neque commodè ſatis, neque ſinè periculo poſſe videatur.

C. 7. Conſimiliter etiam noſtri Commilitones (ſi modò clientes & vaſſalli noſtri erunt, aut iis ditionibus, quarum gubernaculis præſumus, ſubjecti) nulli militiæ nomina dabunt, neque peregrinationem longinquiorem inibunt, non præmonitis atque aſſentientibus Nobis, aut Succeſſoribus noſtris, hujus Sodalitii Principibus, atque Supremis. Neque tamen hac viâ commilitones noſtros eos, qui Nobis aut Succeſſoribus noſtris, hujus Ordinis Principibus, ditionis jure ſubditi ſunt, impedire cupimus; quò minùs & exteris Dominis, quibus feudi nomine obſtringuntur, legitimè obediant, & in bellicis expeditionibus, bonâ fide atque ex dignitate ſerviant: non aliter planè, quàm vel ante hujus Ordinis inſtitutionem, vel non initiati facere potuiſſent. Ac ne eos quidem Commilitones noſtros, qui nobis aut Succeſſoribus noſtris ſubditi non erunt, arctare conſtituimus, ut non, quotiescunque & ubicunque animo libuerit, militent; & quocunque locorum voluerint, liberrimè peregrinentur: dummodo Nobis id priùs (quod tamen commodè, & ſinè inſtitutæ rei impedimento fiat) indicaverint.

C. 8. Jam ſi quam fortè ſimultatem inter Commilitones oriri contigerit, duntaxat quæ ad perſonas pertineat; ſítque ea ejusmodi, ut ad arma atque ad offenſionem ſpectare videatur: ut primùm Supremus ipſe certior ejus factus erit, confeſtim cùm utrique parti contumeliam atque vim omnem acriter interdicet; tum verò rem ipſam totam, qualis erit, ad ſuum confratrúmque ſuorum arbitrium atque diſceptationem deferri imperabit: edicétque, ut vel ipſimet, ſi queant, vel ipſorum certè procuratores, in proximo Ordinis Conventu ſe ſiſtant, ubi de jure quisque ſuo experiantur. Cùm verò agitata ſatis utrimque cauſa fuerit, partéſque perauditæ; tum Supremus, unáque commilitones, diſſidium ipſum, quàm poterunt celerrimè, component, atque decident: eíque judicio partes obtemperare, atque obedire cogentur. Salvo tamen ubique jure noſtro atque illæsâ auctoritate noſtræ jurisdictionis, ditionúmque noſtrarum, & Succeſſorum noſtrorum. *Immutabile.*

C. 9. At ſi quis eò temeritatis proruperit, ut Commilitoni alicui noſtro manus inferre, aut alioqui vim ullam facere aggrediatur; cæteri omnes, quacunque ratione poterunt, obſiſtent, atque ejusmodi conatus atque injurias avertent, atque propulſabunt. *Immutabile.*

C. 10. Quodſi Commilito exterus, neque ipſi Supremo ditionis jure ſubditus, in alium Commilitonem, Supremo ſubditum, injurioſus ſit, qui viâ atque ordine juſtitiæ tenere jus ſuum, ſuámque injuriam perſequi non poſſit: íſque qui injuriam accepit, ejus cauſæ cognitionem in arbitrium conferre Supremi paratus ſit; is verò qui fecit injuriam, idipſum recuſet: Supremus quidem cæteríque Commilitones, operam omnem ſuam atque ſtudium na-



vare,

vare, auxilióque ſuccurrere debebunt injurioſiùs tractato; ut jus ſuum conſequi atque obtinere poſſit. Quod verò ad exteros neque Supremo ſubditos Commilitones attinet, qui contumeliis laceſſiti ſubmittere velle cauſam ſuam ipſius Supremi judicio profitebuntur, neque pars adverſaria adſtipulabitur; Supremus atque Commilitones, eos ipſos contumeliis affectos (quantum quidem cum dignitate facere poterunt) auxilio omni ſuo adjuvabunt. *Immutabile.*

C. 11. Quoniam autem exteros in Conſortium Ordinis hujus adſciſci poſſe jam conſtat, fieríque fortaſſe poteſt, ut Supremus ipſe, vel adversùs Principem patriæ, vel ipſam patriam Commilitonis exteri, bellum moveat: idcirco Nos, tum noſtro nomine, tum Succeſſorum noſtrorum Supremorum ejusdem hujus Ordinis Nomine profitemur, clarúmque facimus: eos ipſos exteros Commilitones noſtros, citra ullam famæ maculam, citráque vel perfidiæ, vel erga Ordinem ipſum ingratitudinis notam, Principes ſuos, Dominósque legitimos, atque ipſum natale ſolum propugnare armis poſſe, atque tutari. Si verò Commilitonum Domini Supremum hujus ipſius Ordinis, ditionésve aut ſubditos ejus hoſtiliter infeſtabunt; tum quidem ipſi Commilitones ob initam fraternitatem, qua huic Ordini ſeſe obſtrinxerunt, detrectare primum honeſtè debebunt obſequium: deinde ſi Dominus excuſationem non admittet, ſed clientes ad officium fidémque præſtandam adacturus eſſe videbitur, ſervire ei liberè poterunt, citra exiſtimationis notam; ità demum ſi & Dominus ipſe expeditioni interierit, & ipſi priùs ea de re litteris ſuis, ſigillíſque appenſis Supremum ipſum facient plenè certiorem. *Immutabile.*

C. 12. Qui verò hujus Ordinis Commilito, externi cujusquam Principis arma ſequetur; is ſi fortè ejusdem hujus Ordinis Confratrem in bello ab aliis capi contigerit; quanto maximo poterit ſtudio, omníque ope adnitetur atque adlaborabit, ut captivum morti eximat, utque incolumis ille ſervetur. Ac ſi ipſe fortè illum manu propriâ ceperit, immunem illum atque indemnem (quod quidem in ipſo erit) libertati reſtituet; niſi tamen captivus, exercitûs atque belli Dux eſſet. Atque hoc ipſum quidem illi ipſi Principi externo, cujus arma ſequi parat, maturè ſignificare debebit; atque hac lege nomen militiæ dare. Cui quidem legi ſi Princeps ille refragabitur; haudquaquam licebit Commilitoni noſtro, ejus intereſſe expeditionibus: verùm mox illum deſerere, caſtrisque excedere, neceſſe habebit. *Immutabile.*

C. 13. Quisquis autem ſemel in hunc Ordinem receptus erit, ejus per omnem vitam dignitate atque prærogativis fruetur; neque exauctorari unquam poterit: niſi quod fortè facinus deteſtabile patrabit, ob quod moveri Ordine, atque honore merebitur. Id verò triplici ſpecie contineri ſtatuimus.

C. 14. Nempe ſi quis Commilitonum hæreſeos reus peractus erit; vel de errore contra fidem Chriſtianam convictus; vel ejus rei causâ publico judicio mulctatus fuiſſe deprehendetur. *Immutabile.*

C. 15. Itidem, ſi perfidiæ atque proditionis crimine accerſitus erit, & judicio convictus. *Immutabile.*

C. 16. Similiter ſi ex acie, ſeu Domini ſui ſeu alterius Principis, ignaviter profugiſſe convincetur; ubi explicata jam, atque propoſita ſigna militaria fuiſſent, résque ad manus conſerendas proceſſiſſet. Etenim ne dedecus unius univerſum Ordinem infamet (quem ſicuti decet, ab omni turpitudine purum eſſe, atque illibatum ſemper optamus) quicunque de aliquo horum facinorum accuſatus atque convictus erit, is judicio Supremi atque Sodalium, aut certè majoris partis Sodalitii, ab hoc Ordine atque gradu dejiciatur; atque exterminetur: auditus tamen priùs, atque defenſus; ſi defendere ſe aut excuſare voluerit. Quod ut facere poſſit, legitimè vocandus, monendúsque erit, atque etiam exſpectandus: ac ſi venire in judicium noluerit, contumaciæ, de more, convincendus. Idem etiam jus erit, eadémque formula obſervabitur, ſi aliud aliquod æquè tetrum ac execrabile crimen admiſſum erit. Ipſe verò Supremus ſi fortè cuiquam Equitum hujus Ordinis vim adferat, aut alioquin atrocem injuriam faciat; ità demum is, cui facta vis, aut injuria fuerit, hanc ipſam Societatem deſerere, ſéque ipſe Ordine abdicare, ac Torquem Supremo (cum honeſta tamen veniæ præfatione) remittere, citra ullam exiſtimationis notam, poterit; ſi priùs ab ipſo Supremo, atque Confratribus jus ſibi dici, idoneâ ratione petiverit, legitimúmque juris dicendi tempus exſpectaverit, neque tamen juſtitiâ frui potuerit: fueritque à Confratribus cæteris, qui ejus ipſius rei gratiâ convenerint, aut certè à majore ipſorum numero pronuntiatum atque teſtatum: cùm offenſum eum ipſum fuiſſe, tum etiam ereptam ei fuiſſe fruendæ juſtitiæ facultatem. Quin etſi quæ alia juſta cauſa fuerit, cur relinquendum ſibi quisquam hunc Ordinem ſtatuat; id de ſententia Commilitonum, probatâ causâ, concedi poterit. *Immutabile.*

C. 17.

C. 17. Atque ut provideamus, ne quis injici fortaſſe ſcrupulus poſſit, ſuper electorum jam à nobis Commilitonum inter ipſos præcellentia atque gradu; tametſi verus Amor, ſocietásque verè fraterna curare ejusmodi non ſolet; attamen volumus atque edicimus, in eundo, in conſidendo, ſive in templis, ſive in hujus ipſius Ordinis Comitiis atque Conſiliis, ſive conviviis, ſimiliter in nominando, loquendo, ſcribendo, cæteríſque in rebus omnibus, duntaxat ad hanc Sodalitatem pertinentibus, ut quisque priùs aut poſteriùs auratus (ùt vocant) atque honorarius Eques factus fuit, ità gradum atque ordinem inter hujus ipſius Sodalitatis Conſodales obtinere. Ac ſi plures eodem die Equeſtrem dignitatem cepiſſe conſtabit, tum ità erit, in iis quas diximus rebus, conditio potior, ut quisque ætate cæteros antecedet. Ad eos verò quod attinebit, qui in poſterum à Supremo unáque à Confratribus, electione communi in hanc ipſam Sodalitatem adſciſcentur, id tempus inſpici volumus, quo tempore in eandem erunt Sodalitatem recepti. Ac ſi plures eadem die recepti erunt, tum quidem ut ætate quisque præcedet (prout jam dictum eſt) ſic potiore conditione futurus erit, Imperatores tamen, Regésque ac Duces excipimus: qui ſoli ſanè pro ratione excellentiæ, atque dignitatis ita gradum atque locum tenebunt, ut priùs aut poſteriùs Equeſtre nomen acceperint. In aliis enim omnibus neque ſanguinis nobilitatem, neque magnitudinem Dominationis, atque potentiæ, neque opum abundantiam reſpicere oportebit. *Immutabile.*

C. 18. Ideóque quos Equites Nos, inter initia atque in ipſa inſtitutione noſtri hujus Ordinis, propter eximiam prudentiam, probitatem, fortitudinem, virtutémque, ac bene moratam vivendi rationem, atque ob conceptam de ipſorum ſummâ erga Nos fide, déque retinenda honeſtè, & cum virtute geſtorum perſeverantiâ confidentiam ſingularem elegimus, atque in hunc Ordinem adſcripſimus: eos ipſos Equites, non quidem pro cujúsque ſtemmate, dominiis, opibus, aut potentia, ſed pro ratione ejus modò temporis, quo quisque dignitatem atque ornamentum Equeſtris Nominis primùm accepiſſet, hoc ipſo, qui ſequitur ordine, atque tenore, ſigillatim nominavimus, rursúmque nominamus: nempe Chariſſimos Nobis atque fideliſſimos.

Dominum Guilielmum de Vienna, Dominum Sancti Georgii & Sanctæ Crucis, conſanguineum noſtrum.

Dominum Reinerum Pot, Dominum de la Prugne, & Rupis de Naulay.

Dominum Joannem, Dominum de Roubaix, & de Harſelles.

Dominum Rolandum de Wtkercke, Dominum de Hamſrode, & de Herſtrunt.

Dominum Antonium de Vergy, Comitem de Dompmartin, Dominum de Champlite, & de Raiguey, conſanguineum noſtrum.

Dominum Davidem de Brimeu, Dominum de Ligney.

Dominum Hugonem de Lannoy, Dominum de Xantes.

Dominum Joannem, Dominum de Commines.

Dominum Antonium Thoulonjon, Dominum de Traves, & de la Baſtie, Burgundiæ Mareſcallum.

Dominum Petrum de Luxemburgo, Comitem S. Pauli, de Converſan, & de Brienne, Dominum Angiæ, conſanguineum noſtrum.

Dominum Joannem de Tremovilla, Dominum de Jonuella, conſanguineum noſtrum.

Dominum Guilbertum de Lannoy, Dominum de Willerval, & de Tronchiennes.

Dominum Joannem de Luxemburgo, Comitem de Ligney, Dominum de Beaurevoir, & de Bouhaing, conſanguineum noſtrum.

Dominum Joannem de Villers, Dominum de Lilleadam.

Dominum Antonium, Dominum de Croy, & de Renty, conſanguineum noſtrum.

Dominum Florimundum de Brimeu.

Dominum Robertum, Dominum de Maſmines.

Dominum Jacobum de Brimeu.

Dominum Balduinum de Lannoy, cognomento le Begue, Dominum de Molembais.

Dominum Petrum de Beffroimont, Dominum de Charny.

Dominum Philippum, Dominum de Ternant.

Dominum Joannem de Croy, Dominum de Tour ſur Marne, conſanguineum noſtrum: Et

Dominum Joannem, Dominum de Crequy.

Cæterùm quod adhuc deeſt numero Tricenario, extra ipſum Supremum; id in proximo, aut alio ſubſecuturo hujus Ordinis Conventu, ex noſtra Confratrúmque noſtrorum electione, ſupplendum reſervamus.

C. 19. Voluimus prætereà, atque volumus, eſſe in hoc ipſo Ordine quatuor Magiſtra-



tus:

tus : Cancellarium videlicet, Theſaurarium, Scribam ſeu Graphiarium; & Fecialem, ſive armorum Regem : qui quidem *Vellus Aureum* cognominabitur. Atque hi quatuor huic ipſi Ordini miniſtrabunt, atque inſervient, juxta formulas, quas de ipſorum officiis atque muniis peculiari commentariolo eis tradi mandavimus. Et quidem jusjurandum, conceptis verbis, pro ſe quisque dabunt, cùm ita ſeſe, ùt decet, atque æquum eſt, ſua illa munia obituros, tum etiam quæcunque in hujus Ordinis Conſiliis dicta, factáve erunt (ſi quid erit tale, ut evulgari non conveniat) bona fide celaturos eſſe.

C. 20. Eſt autem in animo Nobis, ſi modò Deus adnuerit, Divionii, quæ Urbs eſt Ducatûs noſtri Burgundiæ, inſtituere, noſtris impendiis, cultum divinum, atque Religioſum, in eo templo noſtro, quod Ducale Sacellum nuncupatur: præterea & alimenta conſtituere in omnem poſteritatem, certo numero Equeſtris dignitatis virorum, qui ad inopiam atque egeſtatem malignitate fortunæ deciderint; ædificiáque quædam in eam rem, nempe ubi illi commodè degant, excitare: quemadmodum alio diplomate noſtro teſtatum fecimus.

C. 21. In ipſis verò penetralibus, ſeu choro ejus ipſius templi Divionenſis, ſupra ſedem videlicet Supremi hujus Ordinis, affigi volumus ſcutum, in quo ſint expreſſa ejus inſignia; quæ galeâ impoſitâ, atque etiam apice, ſive timbro, laciniiſque ſuis decorentur. Idémque deinceps de commilitonum inſignibus, ſupra Caput, ac Sedem cujusque, fieri mandamus.

C. 22. Ac tametſi pridem conſtitueramus, hujus Ordinis Comitia, Conventúmque univerſalem, ſingulis annis habere; atque adeò ipſo Divi Andreæ Apoſtoli feſto die: attamen cùm animo reputamus, quàm ſint breves hiberni dies, quámque ſit grave atque moleſtum Commilitonibus noſtris, præſertim qui vel ætate affectâ, & viribus ſunt infirmioribus, vel longiùs habitant, frequenter eò, & quidem tam duro anni tempore, commeare; Nos deliberato, communicatóque negotio ſtatuimus, atque edicimus; ea ipſa comitia, conventúmque, ſive Conſilium generale Supremi omniúmque Confratrum hujusce Ordinis, tertio quoque anno, ad diem quidem ſecundum menſis Maji, eò verò loci haberi oportere, quem locum Supremus ipſe, Miſſis tempore ſatìs, pro ratione disjunctionis, atque intervallorum, litteris ſignificaverit. Sic tamen, ut liberum Nobis atque integrum manere velimus, hoc ipſum habendorum comitiorum tempus aut antevertere, aut etiam extrahere, ſiqua Nobis juſta cauſa videbitur: modò ne citiùs, quàm unius anni intervallo à poſtremis Comitiis, nova Comitia habeantur.

C. 23. Ut autem hæc ipſa Comitia, atque Conventus generalis ad præſcriptam rationem agantur; neque ullarum occaſione rerum, quæ intervenire poſſent, impediantur: volumus atque edicimus, ut tum Succeſſores noſtri, qui Supremum in hoc Ordine locum obtinebunt, tum etiam Confratres, ſi fortè vel valetudine, vel captivitate, vel rei bellicæ diſcriminibus, vel itinerum difficultatibus, atque periculis, aliáve juſtâ quacunque cauſâ prohibebuntur, quò minùs ſeſe ipſos coràm, ad conſtitutum diem, ſiſtere queant; neceſſe habeant eódem litteras mandati mittere, quibus uni, vel pluribus ex eis Confratribus, qui Comitiis interfuturi ſunt, vices ſuas commendent, pleniſſimámque auctoritatem permittant: Supremus videlicet ipſe, ſuo nomine principem locum tenendi: reliqui verò in ipſo Conventu comparendi, atque aſſiſtendi: exponendæ excuſationis, cur adeſſe ipſi non potuerint: locorúmque ſuorum ac Sedium tenendarum: donariorum in ſacris offerendorum; obſervandorúmque aliorum rituum: audiendi ea, quæ vel pro ipſis, vel contra ipſos dicentur: mulctarum quoque, ſi quæ ipſis irrogabuntur, excipiendarum, ſufferendarúmque: eáque ipſis omnia, quæ acta illic erunt, ſignificandi: ſingula deníque mandantium vice, ac nomine agendi, atque obeundi, quæ illi, præſentes ſi eſſent, agere ipſi atque obire poſſent. Quibus quidem Vicariis, ſive Mandatariis, ità agentibus, non aliter planè deferetur à reliquis Confratribus, quàm ipſis illis Mandantibus, ſi adeſſent.

C. 24. Ipſis verò Calendis Maji, Confratres omnes, qui jam ad locum celebrandis Comitiis dictum convenerint, ad Supremum ipſum, in Aulam, honoris gratiâ, adibunt: & quidem tempeſtivè; priùs nimirùm, quàm is ad pomeridianas precationes (quas Veſperas vocant) ſe conferat. Quos ille contrà amicè ſanè atque honorificè, pro re ipſa, eſt excepturus.

C. 25. Mox deinde Supremus, ejúsve Vicarius, unáque hujus Ordinis Confratres Aulâ ſimul excedentes templum petent: amicti omnes palliis laneis purpurei coloris, nempe cocco tinctis, & in terram usque defluentibus: quæ & in fiſſionibus lateralibus, & infernè circùm oras ipſas, limbum habeant ambientem, ſic opere Phrygio acu pictum, ùt in morem variè ſparſi ſeminis, partim igniariis ferramentis, & ſiliculis, ſcintilliſque velut ex attritu mutuo exilientibus, partim quoque Velleribus Ovillis Aureis diſtinguatur. Sítque ea ipſa toga interiùs ſubducta eo pellium genere, quod ex ſciurorum acciſis tergis, atque ventriculis,

invi-

invicémque alternatim compoſitis, conſtet: Galli vulgò *Menuvair* appellant. Capita verò omnibus capitia ſimiliter coccinea tegant: à quibus ipſis, conſimili ex panno pars quædam; oblonga quidem, verùm anguſta, qua redimiri collum ſolet, integra tamen, & cæſuris nullis interſecta propendeat. Atque his quidem tum togis, tum capitiis (quæ ſuo ſibi quisque ære comparaturus eſt) Supremus atque Confratres induti, ad templum pariter, hoc ordine progredientur, ut hi quidem bini præcedant, ille autem, Vicariúsve ejus ſubſecutus, Sodalitatem ſolus claudat. Ubi verò in Templum ventum erit, unusquísque Sedem ſuis inſignibus prænotatam occupabit, ibíque ad Sacrum Dei cultum animum attendet. Re verò Divinâ demum peractâ, eodem prorſus Ordine Univerſi in Aulam regredientur: quatuor illis (quos ſupra diximus) Magiſtratibus, pro ipſorum conditione, & gradu, antè totum agmen ambulantibus.

C. 26. Poſtridie autem manè (qui dies præcipuus erit, atque hujus feſtivitatis caput) Supremus, Commilitonésque, ac Magiſtratus, coccinati ùt pridie, eadémque ſerie Templum repetent: audituri percelebre Miſſæ ſacrum, quod in honorem Divi Andreæ Apoſtoli, magnâ Religione & Ceremoniâ conficietur. Quo quidem tempore & ipſe Supremus: & Confratres, pro ſe ſinguli, Vicarii etiam pro abſentibus, donarium offerent, nummum videlicèt Aureum aliquem unum, prout cujúsque feret religio. Rurſúsque peracto Sacro, conſimiliter in Aulam redibunt. Ubi tunc Supremus eos menſæ ſuæ convivas adhibitos, ſanè quàm comiter, vel ipſe excipiet, vel à Vicario ſuo excipi mandabit.

C. 27. Eodémque die, ſub tempus Veſperarum, Supremus Equitésque Confratres, Aulâ relictâ, conſimili quidem prorſus ordine, ſed pullis jam togis, capitiísque, cum dependente (ùt dictum eſt) panno induti, Templum repetent, ad preces atque Cæremonias pro mortuorum expiatione conceptas. Inſequenti verò die, ſimiliter pullati, eodémque ritu, ad Miſſæ ſacrum accedent; pro vitâ functis Confratribus oraturi. At tunc in oblatione Supremus, atque Confratres, ſuo quisque nomine, Vicarii verò etiam pro abſentibus, quorum vices gerunt, cereum quisque ardentem offerent. Abſolutâ verò oblatione, Hiſtoriographus, ſive Scriba hujus Ordinis, de ſcripto leget nomina, cognomina atque titulos univerſorum, cùm Supremorum, tum etiam Equitum Confratrum demortuorum. Ac deinde ſacrorum Antiſtes, veluti pro corolario pronunciabit Pſalmum Davidicum: *De profundis clamavi*, &c. cum aliqua pro ſalute animarum precatione.

C. 28 Eâ verò quæ hanc conſequitur die, hoc eſt, quartâ Supremus atque Confratres, rursùs quidem pariter, ad Miſſæ ſacrum, quod in Divæ Virginis Matris laudem fiet, adituri ſunt: eo tamen veſtitu, quo cuíque viſum fuerit, uti fas erit.

C. 29. At quinto quidem feſtivitatis hujus die liberum erit Supremo, atque Confratribus, ſi ità collibeat, auſpicari ſua Comitia; & earum rerum tractationem aggredi, quæ ad Ordinem pertinebunt: quocunque tandem in loco Supremus ipſe id fieri maluerit. Electiones tamen ipſas, atque correctiones, mulctationésque Confratrum in eo ipſo Templo, ubi facta ſacra ſunt, fieri oportebit: atque adeò eo loco, ubi ejus ipſius Templi Sacerdotes habere Conventus aſſolent; quod Capitulum vocant: ſi modò locus is idoneus hanc ad rem eſſe videbitur; ſin minùs, eo loco, quem Supremus ipſe probaverit. Quo quidem in loco, ubi vel de eligendo, vel de corrigendo mulctandóve agetur, & Supremus ipſe, & Confratres omnes; ipſi etiam quatuor hujus Ordinis Magiſtratus, nonniſi coccineis veſtibus utentur.

C. 30. Eodem porrò in loco jam Conventu omnium facto, Supremus ipſe, ejúsve Vicarius, aut ejus nomine, ac juſſu Cancellarius edicet, atque imperabit univerſis hujus Ordinis, & Confratribus & Magiſtratibus, ſive Miniſtris, accuratum earum rerum omnium ſilentium, quæ in ipſo Conventu, atque Comitiis, dicta, acta, agitatáque erunt: præcipuè verò, atque nominatim, ut correctiones ipſas; ac mulctas ità contineant; ut ne cuiquam eas quavis tandem ratione, detegant atque eliminent. Quod ipſum quidem ſic accipi volumus, ut Vicariis, ſive Mandatariis tamen liceat, eas res abſentibus, quorum vices obtinent, ſignificare, quæ ad ipſos peculiariter pertinebunt.

C. 31. Cæterùm ut ipſe hic Ordo noſter, atque amica Societas illibata conſiſtat, & cum dignitate conſervetur; utque Equites Socii atque Confratres rectè, moratéque, & cum virtute vivere enitantur; ſícque illuſtrando nomini ſuo, famæque celebritati ſtudeant, ut ipſi cæteris Equeſtris gradûs, & nobili genere prognatis viris exemplum quoddam fiant ad virtutem, ſolidámque gloriam, unde nobilitas ipſa, noménque ipſum Equeſtre honoratius apud omnes magisque conſpicuum evadat, atque plauſibilius: idcirco in eo ipſo hujus Ordinis Procerum Conventu generatim primùm admoniturus eſt Cancellarius eos, qui aderunt, earum rerum, quæ cùm ad emendandos depravatos mores, vitioſámque naturam comprimendam, atque edomandam, tum ad excitandam virtutem, & cum vera laude degendam vitam,



tam,

tam, quàm maximè idonea atque appoſita eſſe videbuntur. Deinde eum ex Commilitonibus, qui pro ſerie paulò ante præſcriptâ, poſtremus omnium adſederit, monebit Cancellarius, ipſius Collegii nomine, ut è Conſilio ſecedat; foríſque tantiſper, dum intrò revocetur, opperiatur.

C. 32. Interea verò dum ille abeſt, Supremus, ejúſve Vicarius, aut certè Cancellarius, & ipſius Supremi, & univerſi cætûs atque Ordinis nomine ab unoquoque Commilitonum ſeparatim, atque ab ipſo etiam Supremo ſciſcitabitur, initio videlicet interrogationum facto à poſtremo atque infimo ſedili, cúmque deinceps ad modum pergendo usque ad ſummum, ídque jurejurando conceptis verbis, diſertè, atque legitimè ſingillatim exacto: num vel oculis propriis vel audiendi ſenſu, vel alioqui certâ ratione ipſi cognoverint, atque deprehenderint, númve ex alio quoquam, qui tamen fide dignus ſit, intellexerint, in eo Commilitone, qui foris ſit, factum ullum, aut dictum, contra dignitatem, ac decus Equeſtris gradûs, viríque nobilis officium: præſertim autem, numquid illum in leges atque decreta hujus Ordinis, germanæque Societatis admiſiſſe conſtet; quod ei ipſi Ordini, atque Societati infamiam, aut notam aliquam turpitudinis inurere, quoquo modo poſſe videatur.

C. 33. Quòdſi teſtimonio communi Confratrum, aut eorum bonæ partis, qui foràs ire juſſus ſit, turpe quidpiam, aut facinoſorum admiſiſſe, aut alioqui contra dignitatem Equeſtrem, viríque nobilis officium, peccaviſſe comperietur; maximè ſi hujus ipſius Ordinis leges transgreſſum eum eſſe conſtabit, in ejusmodi duntaxat Articulis, ut exterminari ex hoc Sodalitio jure non poſſit: is mox intrò revocatus, aut ipſius Supremi, ejúſve Vicarii, aut Cancellarii voce reprehendendus, amicéque monendus, atque adhortandus eſt, ut corruptos ſuos mores ipſe corrigat, atque emendet: ſícque vivere porrò malit, ut neque malè cuiquam de ipſo opinandi, inhoneſtéve prædicandi, ſugillandíve locum ullum reliquum faciat; & melior de ipſo in poſterum fama, atque commendatio ad Sodalitatis aures perveniat. Quòd verò ad mulctationes attinet, de iis quidem Supremus, atque Confratres, collatis ſententiis, prout quæque res expoſcere videbitur, conſtituent. Ac quascunque illi mulctas dixerint, eas ii, quibus dictæ erunt, toleranter, & cum obſequio ſufferent, atque præſtabunt.

C. 34. Deinde ad eum, qui penultimo loco ſedit, veniendum, déque ipſo ſimiliter planè agendum erit: itidémque de abſentium procuratoribus: donec ex ordine gradatim aſcendendo, ad ipſum Supremum venietur. Etenim ob eas ipſas cauſas, quas jam antè perſtrinximus, atque ut ſincerus fraternúſque amor in hac Sodalitate communiter conſtet: id quod tunc optimè fieri ſolet, cùm æquo jure omnes vivunt; ac maximè quidem, quòd ab his potiſſimùm, qui præſunt, exempla vitæ proficiſci ad cæteros conveniat; volumus, & ipſum Supremum è Collegio ſecedere, atque in eum ſingulorum ſententiis non aliter, atque de cæteris, cùm inquiri, tum etiam mulctam (ſi res exegerit) conſtitui.

C. 35. Contra verò, ſi, qui excedere conclavi juſſus erit, bonâ eſſe exiſtimatione, vitámque honeſtè, & cum virtute coluiſſe, atque in præclaris, heroicíſque, & quæ viros imprimis nobili ſtirpe progenitos decent, facinoribus ſtudium poſuiſſe ſuum, atque ad ſumma contendere, communiter judicatus erit: ei quidem Cancellarius, ut videlicet eò etiam magìs ille ad continuandas, cumulandáſque virtutes incitetur, ad præſcriptum arbitriúmque Supremi, atque Confratrum, facta earum laudum gratulatione, nil obſcurè teſtificabitur, quantum illi gaudium, quámque ingentem voluptatem ex famæ ejus ſplendore probatáque virtute capiant: adhortans inſuper, ut in his, quæ adhuc rectiſſimè fecerit, conſtanter perſeveret, séque ipſe quotidie vincere ſtudeat, ſic, ut & nomen ejus ubíque clarius, atque celebrius in dies evadat; & ipſe aliis omnibus, veluti exemplar publicè propoſitum, quod imitentur, ad præclara nitentibus ſit incitamento. Similémque deinceps in modum alii Commilitones excipiendi erunt; quorum vita ac mores ſuffragiis communibus probabuntur.

C. 36. Ac ſi in ipſis hujus Ordinis Comitiis reſcitum erit, admiſiſſe quempiam è Confratribus indignum usque adeò, atque infame ſcelus, ut ex legibus hujus ipſius Ordinis abdicari dignitate, atque conſortio Sodalitatis mereatur: ei ipſi, ſi modò præſens erit Supremus rem totam pleniſſimè exponi faciet: & poteſtate defendendi ſui permiſsâ, ſi quid adferre, atque probare ad tuendam innocentiam ſuam, impetrandámque abſolutionem, volet; à Supremo ipſo, & Confratribus aliis majoréve eorum parte, jus dicetur. Sin autem tale aliquid, extra Comitiorum dies, ad Supremum deferetur; id quidem vel epiſtolâ peculiari, vel diplomate publico appenſo etiam hujus ipſius Ordinis Sigillo, per Fecialem eum (quem *Aureum Vellus* appellandum eſſe ſuprà diximus) aut per alium quempiam hominem idoneum, Supremus ſignificabit ei Commilitoni, qui inſimulatus erit, commonefaciétque, ut in proximis Comitiis cauſam dicturus adeſſe ne negligat; ibi enim, quod cauſa poſtulaverit, judicatum iri. At ſi propiùs inſtabunt Comitia, pro ratione intervalli ejus loci, ubi ille

degat,

degat, quàm ut ſiſtere ſe in iis ipſis Comitiis poſſe videatur; ſecunda omnino ſecutura Comitia præſcribi oportebit: eâ interim lege diſertè adjectâ, ut etiam, ſi ille non ſe ſiſtat ad diem, de cauſa tamen ſua conſtitutum iri, quemadmodum æquum erit, non ignoret.

C. 37. Et quidem cognitâ jam in præſtitutis Comitiis cauſâ, ſi Commilitonem eum enorme aliquod, ac deteſtabile facinus admiſiſſe conſtiterit, cujus videlicet nomine dejici ab Ordine mereatur: Supremus nimirum atque Confratres, potiórve eorum numerus, ne ejus unius ſcelere totus ipſe Ordo infametur, eum dejicient, atque exterminabunt. Eíque (quod ad ipſum attinebit) interdicent, ne deinde vel illum ipſum Torquem, qui traditus ei pro hujus ipſius Ordinis inſigni fuerat, vel alium ullum ſimilem, aut imitatione ſimulatum unquam geſtet: eum verò ipſum ſibi traditum Torquem, ut, ſicuti, cùm initiaretur, ſacroſanctè juraverat, ipſi Supremo, aut hujus Ordinis Theſaurario reſtituat, edicent atque mandabunt. Si verò aberit is, de quo actum erit, ei tum ipſum exterminationis judicium, ſive ſententiam, tum interdictionem, tum mandatum (quæ diximus) publico diplomate, cui Ordinis Sigillum appenſum ſit, quàm clariſſimè ſignificari oportebit.

C. 38. Quòdſi ille fortè Torquem reddere detrectabit; Supremus ipſum juris ordine, ſi quidem ſubditus ei erit, compellet. Sin verò non erit ejus juriſdictioni ſubjectus, deliberato priùs cum Confratribus negotio, eam cogendi rationem, ac viam, quæ melior atque commodior viſa fuerit, inibit.

C. 39. Volumus autem, atque ſtatuimus, cùm ex Commilitonibus noſtris mori quempiam contigerit, ejus ipſius hæredes ac poſteros Torquem, quem ille in initiatione ſua acceperit, mox intra tres menſes ab ejus obitu, ad hujus Ordinis Theſaurarium remittere, ab eóque ſyngrapham accipere, qua remiſiſſe teſtari poſſint. Ita enim demum liberari eos, volumus.

C. 40. Jam ſi contigerit Commilitonem in prælio atque conflictu Torquem perdere, aut dum res egregias molitur, in hoſtium venire poteſtatem, atque ità Torque ſpoliari; Supremus hujus Ordinis, novum ei Torquem ære ſuo parari faciet. Aliter verò qui perdiderit, ipſe ſibi Torquem conſimilem proprio impendio curare debebit; ſic ut intra quatuor menſes proximos, aut alioqui quàm citiſſimè omnino fieri potuerit, palàm eum geſtet.

C. 41. Quoties autem morte alicujus Commilitonis, locus in ejus ipſius Ordinis Albo vacuus erit; Supremus atque Confratres collatis ſuffragiis, alium, qui dotibus iis præditus ſit, quas antè diximus, ſupplendo numero deligent. Et in hac quidem electione ipſa facienda, aliíſque omnibus in rebus ad hunc Ordinem ſpectantibus, unius Supremi ſuffragium, duorum ſuffragiorum, neque plurium vim obtinebit, niſi in eo eventu, de quo poſtea dicemus. *Immutabile.*

C. 42. Ratio verò modúſque eligendi novi Commilitonis, hæc erit: Mortuo de Commilitonibus quopiam, armorum Rex, qui *Vellus Aureum* cognominabitur, Supremum continuò certiorem faciet: ille autem per epiſtolas indicabit Confratribus cæteris omnibus: monebítque atque edicet, ut in proximis Comitiis, ſi ſat reſtabit temporis; ſin autem anguſtia temporis prohibebit, in ſecundis omninò Comitiis, ſeſe ipſi, ſi fieri potuerit, ſiſtant, parati atque præmeditati, ut novum Confratrem in demortui locum eligant; ſin cauſam quis legitimam habeat, ut adeſſe ipſe non poſſit; is eò per Vicarium, aliúmve certum hominem, in Supremi manum mittat obſeratum ſcriptum, ſive tabellam, gemmâ, ſigillóve ſuo impreſſam; quæ nomen habeat ejus Equitis, cui ſuffragium ipſe ſuum ferre decreverit.

C. 43. At ſi non morte quidem, ſed dejectione cujuſpiam locus in hoc Sodalitio vacabit (quando id in ipſis Comitiis, Conventúque Supremi, atque Confratrum, eorúmque communibus calculis contingere neceſſe eſt) tum quidem illicò Supremus, aut ipſe monebit, aut ab alio moneri faciet eos, qui adſunt, ut & ſuo quilibet, & Vicarii abſentium quoque nomine, de novo in dejecti locum eligendo Confratre deliberent, atque conſtituant.

C. 44. Atque ipſam quidem electionem, non niſi eo & loco & tempore, quo ſtatuta Comitia habebuntur, fieri volumus. Ante verò quàm ad eligendum accedatur; Hiſtoricus ſive Scriba hujus Ordinis, recitaturus eſt, quæ ipſe de rebus à defuncto Equite præclarè, atque cum laude geſtis, ad ſuggeſtionem Regis armorum conſcripſerit.

C. 45. Ante ipſam item electionem, tum ipſe Supremus, tum Commilitones, qui aderunt, ac pro abſentibus Vicarii ſchedas in medium proferent; ubi Equitum atque generoſorum virorum nomina aliquammulta, pro cujuſque arbitrio, ſint inſcripta: interrogabítque Cancellarius ſingulos; num quem ex omni numerò cognôrint, quem eligi in Confratrem nequaquam expediat.

C. 46. Quibus rebus eum ad modum peractis, & conſidentibus jam Ordine ſuo Supremo atque Confratribus, Cancellarius dicturus eſt in hanc ſententiam: quandoquidem, Clariſſimi

riſſimi Proceres, huc jam omnes eâ gratiâ conveniſtis, ut ex magno virorum nobilium numero unum aliquem ſufficiatis in vacantem locum; etiam atque etiam providendum Vobis eſt, ut juſtè ac ſanctè res hæc tota perficiatur. Ideóque vos ſingulos, in ea ipſa verba, quæ ego concepero, atque præivero, perſanctè priùs jurare oportet, quàm ad ferenda ſuffragia accedatis. Nempe per eam ipſam fidem, pérque ipſum illud jusjurandum, quo huic Ordini Vos anteà adſtrinxiſtis, obnoxiósque ſponte feciſtis, nunc in manu Supremi, aut ejus Vicarii Sacroſanctè quisque juratis, Vos, hoc eſt, unumquemque veſtrûm, quod ad ſe pertinebit, rectè ſeſe, ac juſtè, hoc eſt, incorruptè, ſincerè, atque ex fide, in hac ipſa facienda electione geſturum: tum etiam Equitem, aut nobilem virum unum, ſuâ voce, atque ſuffragio deſignaturum eſſe, atque ornaturum, quem ſuo quisque judicio, atque opinione talem eſſe, atque univerſis iis dotibus præditum judicet, quæ in Ordinis hujus Commilitone quæruntur: quíque Supremo huic veſtro, ejúsque poſteris, qui & ipſi aliquando hujus ipſius Ordinis Supremi futuri ſint, corúmque terris, rebúsque ac dominationibus, utiles, atque conſentanei fore credantur; quósque veſtrâ unusquisque ſententiâ tales eſſe confidatis, ut conſervandæ hujus ipſius Ordinis dignitati, ac commodo, eidémque honeſtamento, atque etiam adjumento eſſe poſſe videantur. Poſtremò nihil quidquam hac in re, neque ſanguinis illuſtriori nobilitati, neque amori, aut benevolentiæ, neque favori, neque privatis commodis, neque gratiæ, neque ulli deníque affectui conceſſuros eſſe: quò minùs liberè, atque ex merito, eum unum, ex his omnibus, quos tales eſſe noveritis, nominetis, atque eligatis, quem dotibus omnibus jam dictis antecellere cæteris exiſtimabitis, unúmque omnium digniſſimum eſſe, maximéque idoneum, qui in Ordinem hunc longè honeſtiſſimum, conjunctiſſimámque Sodalitatem, cooptetur.

C. 47. Mox, qui proximus Supremo conſederit, conſurget; atque ad eum ipſum cum decenti honoris exhibitione accedens, profitebitur, in ea ſe verba, quæ modò Cancellarius præiverit, libenter jurare. Eóque ſuam in ſedem reverſo, qui ab illo ſecundus gradu fuerit, atque itidem deinceps alii, pro ſuo quisque ordine, conſimili ſeſe jurejurando lubentes obſtringere, profitebuntur.

C. 48. Deinde appellatum rurſus primæ Sedis Commilitonem interrogaturus eſt Supremus in hæc verba: Per religionem jurisjurandi, quod modò dediſti, quoque fidem mihi obſtrinxiſti tuam, te moneo atque adjuro, ut quisnam ille ſit Eques, qui tibi unus, inter omnes, quos noveris, digniſſimus eſſe videatur, quem ad conjunctionem fraternæ hujus noſtræ Societatis adſcitum recipiamus, affirmes. Tum verò aſſurgens ille in lancem auream, argenteámve eum in uſum ante Supremi, aut ejus Vicarii pedes propoſitam, chartulam convolutam venerabundus deponet; in qua deſcriptum nomen ſit ejus, quem ipſe ſuo ſuffragio eligendum ſibi conſtituerit. Similitérque alii deinceps, ad infimum usque, ſunt facturi. Demum & ipſe Supremus, cùm ſuam ipſius tabellam, tum quascunque alias ab abſentibus acceperit, clauſas, ſicuti erunt, eandem in lancem demittet.

C. 49. Tum Cancellarius omnes eas tabellas, ſchedáſve, explicabit; & ut quæque prior in manus venerit, ità in eis inſcripta nomina magnâ voce recitabit; eáque ſigillatim Scriba excipiet, atque deſcribet: ut his mox collatis conſtare poſſit, in quemnam plura ſuffragia conſenſerint. Etenim ſtatim ut facta erit ea collatio, pronunciaveritque Cancellarius, quot unusquisque ornatus ſit ſuffragiis; Supremus ipſe, ſermone repetens ejusmodi ſuffragiorum conſenſionem, noménque proferens ejus, in quem plures conſenſerint. Huic, dicet, plurium vocum obtigit concordia, ac proinde electus jam & adſcitus eſt, ac velut adoptatus in fratrem noſtrum, ac ſocium noſtri Ordinis, atque Societatis. Quòd ſi fortè continget dubiam fieri electionem, quòd videlicet paria duobus obveniſſent ſuffragia: tum quidem deníque (id quod nulla alia in re ad hunc Ordinem pertinente obtinere volumus) promovendæ electionis jam conceptæ gratiâ, Supremo liberum eſto, ſupra duo illa ſua ſuffragia, de quibus jam antè dictum eſt, tertium quoque adjicere alterutri ex iis, qui electi fuerint, ſi ità ei videbitur. Qua ille uti prærogativâ ſi nolet, tum utriusque electio pro infecta habenda erit: prioribúsque tabellis conſciſſis, novas in lancem mittere oportebit: ſic tamen, ut ſemel poſitis abſentium tabellis (quoniam videlicet conquiri novæ ſubitò non poſſent) integris permanentibus, robur atque auctoritas, ùt ante, conſervetur.

C. 50. Confectam demum electionem Scriba hujus Ordinis in peculiarem commentarium rediget: adnotato etiam die, quo fieri eam contigerit. Ac ſi longiùs aberit, qui electus fuerit, Supremus eum, miſſis per Regem armorum, qui *Vellus Aureum* cognominatur, vel per alium quempiam idoneum hominem, litteris certiorem faciet electionis; petétque, ut ratam habere, ſuámque in hunc Ordinem vocationem, atque adoptationem benignè admittere, amicéque accipere velit. Et quidem ſimul cum litteris exemplum ei mittet Conſtitu-

ſtitutionum hujus ipſius Ordinis, ut iis perlectis, deliberare ille ſecum poſſit, atque conſtituere. Admonebitur etiam, ut ſi de ſe factam electionem accipere, atque in numerum hujus Ordinis Confratrum aggregari velle ſtatuerit; ipſe ad eum, qui præfixus ei fuerit, diem ad Supremum coràm accedat, ut & jusjurandum det, & Torque hujus ipſius Ordinis inſigni induatur, reliquáque omnia eò pertinentia adimpleat: interea verò mentem ſuam, cùm legato verbis, tum Supremo etiam ipſi reſcriptis litteris teſtificetur, atque denunciet.

C. 51. Ac ſi magnæ dominationis atque potentiæ fuerit, qui electus erit, ac proinde gravibus negotiis, occupationibúsque diſtineatur, aut vel longinquiùs habitet, vel peregrè abierit; ut proximis Comitiis ad Supremum acceſſurum eſſe, veriſimile non videatur, poterit Supremus (ſi ita viſum erit) illi ipſi, quem eò cum litteris miſſurus eſt, Torquem etiam concredere deferendum: quo electum ille Equitem tum demum induat, cùm electionem de ſe factam, atque in hunc Ordinem aggregationem ſe ratam habere, gratámque ſibi eſſe, profeſſus fuerit. Quam quidem rurſus profeſſionem ſuam, tum etiam acceptum à ſe Torquem eſſe, litteris illum ſuis, per eundem hominem remiſſis, teſtari oportebit: atque in iis ipſis litteris nominatim promittere, ſeſe ad proxima comitia, ſi commodè potuerit, aut ſi id nequiverit, ad ſecunda certè venturum: aut etiam ad ipſum Supremum, ubi id primùm licuerit, acceſſurum eſſe: nempe ut in Ordinis hujus decreta juret, aliáque generatim omnia, quæ facienda erunt, faciat, atque exequatur.

C. 52. Ubi verò qui electus fuerat, approbatâ jam electione, advenerit, ut jusjurandum det, Torquémque accipiat; ſub ipſius Supremi conſpectum prodiens, in hanc loquetur ſententiam: Quandoquidem, optimè Princeps, ex litteris tuis cognovi, tuâ me Fratrúmque tuorum honeſtiſſimi hujus Ordinis Sociorum benignitate, electum eſſe, atque adſcitum in hunc ipſum Ordinem, amicámque Sodalitatem: (quo quidem facto veſtro honeſtatum me mirificè eſſe intelligo) equidem & veneranter ſtatim accepi judicium de me veſtrum, beneficiúmque iſtud gratiſſimo animo comprobavi: & nunc præſens quoque gratiam me vobis habere maximam libenter profiteor. Adſum igitur, & tibi me, Princeps, ſiſto; obſecundaturus his in rebus omnibus, quæ ad hunc Ordinem pertinebunt; & quæcunque mei eſſe officii cognoſcam, liberaliter impleturus. Ad quæ Supremus ipſe, præſente Confratrum numero, quantus haberi pro tempore maximus poterit, ſic reſpondebit: Ego quidem, vir generoſe, Fratréſque hi mei, atque Conſocii, quòd egregias laudes tuas prædicari audiverimus, quódque confidamus te in his non modò retinendis, ſed etiam amplificandis, atque cumulandis, elaboraturum eſſe, cùm ad tui ipſius celebritatem, commendationémque, tum etiam ad communem Equeſtris nominis dignitatem, ac decus, eligendum te, atque appellandum duximus, ut per omnem vitam (quod faxit Deus) Frater ſis atque Socius hujuſce Ordinis noſtri. Reliquum nunc eſt, ut te Sacramentis neceſſariis volens obſtringas, quæ præiturus ego ſum. Ac primùm quidem te, dum vives, aut certè dum hunc Ordinem, atque Sodalitatem retinebis, ejus ipſius Supremi, atque Principis celſitudinem, dominatum, júsque ac dignitatem, quantum omninò facere potueris, tutaturum eſſe, atque conſervaturum. *Immutabile.*

C. 53. Deinde omni te curâ adlaboraturum eſſe, ut hic Ordo dignitatem ſuam, ſplendorémque retineat, atque conſervet. Eíque amplificando, quam poteris, operam ubique daturum; neque paſſurum unquam (quod quidem ipſe prohibere poſſis, atque avertere) ut violetur ille, convellatúrque, aut detrimentum capiat, atque imminutionem honoris, publicæque exiſtimationis. *Immutabile.*

C. 54. Tum prætereà ſi (quod Deus omen avertat) tale fortè quodpiam admittere aliquando contingat, ut, pro Conſtitutionum hujus Ordinis præſcripto, ex eo ipſo Ordine ejiciaris; eámque ob rem Torques à te repetatur: eum quidem ipſum Torquem remiſſurum eſſe te, vel ipſi Supremo, vel ejusdem Ordinis Theſaurario intra menſes omninò tres proximos: neque te vel illum ipſum Torquem, poſtquàm repetitus fuerit, vel ſimilem ullum eſſe geſtaturum; neque item ea de cauſa indignaturum te Supremo, aut cuiquam Confratrum, vel Magiſtratuum Ordinis; neque in eos odia ſuſcepturum eſſe. *Immutabile.*

C. 55. Pœnas item omnes, mulctáſque alias, ſi quæ tibi ab hoc Ordine ob admiſſa leviora irrogabuntur, leniter te atque æquanimiter laturum eſſe, atque impleturum: neque eam ob rem in Supremum ipſum, aut quemquam hujus Ordinis Sodalem vel Magiſtratum, iniquiore animo futurum. *Immutabile.*

C. 56. Acceſſurum etiam te ipſum ad omnia hujus ipſius Ordinis Comitia, aut eò certè Vicarium (ex Conſtitutionum præſcripto) vice tuâ miſſurum, atque obtemperaturum te Supremo, Succeſſoribúſque ejus, atque Vicariis, omni æqua in re atque honeſta, quantùm quidem ad hujus ipſius Ordinis negotia, tuúmque erga eundem Ordinem Officium pertinebit. *Immutabile.*

C. 57. Deníque Conſtitutiones ipſas in univerſum omnes, atque decreta hujus Ordinis, ſingula eorum capita, quæ jam, vel ipſe legiſti, vel aliis prælegentibus cognoviſti, te pro viribus executurum eſſe, ſanctè promittis. Quod ipſum etſi generatim quidem facis; ita tamen valere vis, ac ſi ſpeciatim, nominatímque in ſingula quæque eorum omnium capitum verba atque voces peculiari adhibito jurejurando juraviſſes. *Immutabile.*

C. 58. Atque hæc quidem ſic ille in manum ipſius Supremi, fidem ſuam atque honorem teſtatus, & contacto Sacroſanctæ Crucis ſigno, Evangeliorúmque Codice, religiosè promittet. *Immutabile.*

C. 59. Mox deinde ſe reverenter ante Supremum ipſum genibus nixus ſubmittet. Supremus autem Torquem collo ejus circumponens, aut ſuâ ipſe, aut alterius voce dicturus eſt, in hanc ſententiam: ipſe te hic Ordo, Vir egregie, in Sodalitatem amabilem ſuam recipit: ejúsque rei ſignum Torquem ego hunc tibi circumdo. Faxit Deus, ut geſtare eum diu poſſis: ídque ut ſimul ad divinam gloriam, atque cultum, exaltationémque Eccleſiæ, cedat: ſimul etiam cùm ad amplificationem, honorémque hujus ipſius Ordinis in univerſum, tum ad tuam privatim laudem, & promeritam famæ celebritatem. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ad quæ ille reſpondebit: Amen. Id mihi concedat Deus. Poſteà verò, qui Confratrum omnium præſentium digniore loco, hoc eſt, Supremo vicinior ſederit, novum Confratrem ad ipſum deducet Supremum in ſolio ſedentem. Qui quidem exceptum illum oſculabitur, amoris nimirum perpetui ſignificatione, ídque ipſum, & alii deinceps Confratres omnes, quotquot aderunt ex Ordine imitabuntur.

C. 60. Quòd ſi qui electus fuerat, accipere electionem recuſaverit. Supremus id ipſum hujus Ordinis Confratribus ſignificabit; admonens ut de alio, apud ſe quisque, conſtituant, quem idoneo tempore, eáque ratione, ac formâ, qua fieri conveniat, eligere poſſint.

C. 61. Et quidem illud ipſum jusjurandum, atque eâdem ratione, ac formâ, quam ſuprà poſuimus, jurabunt illi quoque ipſi Equites ſigillatim, quos jam antè nominatos, nos omnium primos in Fratres noſtros elegimus, ínque hujus Ordinis Societatem accerſivimus.

C. 62. Quilibet autem Eques, ubi jam huic ipſi Ordini initiatus erit, neceſſe habebit numerare Theſaurario nummos ſcutatos aureos quadraginta, ex iis, qui ſeptuaginta duo id ponderis genus impleant, quod vulgò Marcam vocant (nempe auri uncias octo) aut pretium certè eorum pendere. Quæ ſumma in ſacras veſtes, ornamentáque alia comparanda, quæ ad divinum cultum in hujus Ordinis Collegio faciendum pertinebunt, erogabitur. Si quis tamen ejusmodi veſtes ſacras, atque ornamenta, quæ jam parata habeat, donare ipſi Collegio maluerit, quæ pretium jam dictum exæquent, ſatisfaciet.

C. 63. Quotiescunque verò aliquem hujus Ordinis Equitem decedere è vitâ continget, id ſtatim ut quisque Confratrum reſciverit, ad Theſaurarium pecuniam mittet, unde is Miſſarum Sacra quindecim cani faciat, quindecim etiam ſolidos pauperibus in eleemoſynam pro ſalute animæ Equitis defuncti diſpartiatur. Atque hæc quidem omnia Theſaurarius in urbe Divionenſi atque in ipſo Sacello Ducali fieri curabit.

C. 64. Jam quod ad Regem armorum ſpectat, Supremus ei nummos aureos centum ſcutatos, qui ſeptuaginta duo Marcam auri conficiant, in annos ſingulos penſionis nomine largietur. Confratres verò ſinguli binos ei ſimiles aureos, quorum ſolutio ipſo Comitiorum generalium tempore (quod Capitulum vocatur) fieri debeat, in annos ſingulos conferent.

C. 65. Cæterùm, ſi, ipſo Supremo vitâ functo, hæres ejus, atque Succeſſor filius minor annis fuerit; ideóque agendis hujus Ordinis rebus impar: volumus, atque conſtituimus, Fratres, atque Conſocios hujus Ordinis unum in locum convenire; ibíque collatis, expenſíſque ſingulorum ſententiis, & ſuffragiis, ex majore, potioréque vocum numero, deligere unum aliquem, atque conſtituere, & quidem ex ipſis; qui minoris nomine, ejúsque impendiis, & donec ille, ad ætatem rebus gerendis idoneam proceſſerit, atque etiam Equeſtris nominis decus acceperit, in hoc ipſo Ordine præſideat; ejusdémque Ordinis rebus omnibus, atque negotiis tractandis, exequendíſque cum auctoritate atque imperio præſit. At ſi filiam ille hæredem, & quidem innuptam, reliquerit; volumus, atque conſtituimus, ſimili planè modò, de Confratribus aliquem deligi, rebúsque Ordinis præponi, quoad ea viro nupſerit: & quidem Equiti, & ea ætate, ut tractare atque exequi res Ordinis ipſe per ſe Supremíque munus implere jam poſſit; ac ſuper ea re jusjurandum dederit. Ei porrò qui ſic electus erit, obediri ab omnibus pro eo tempore volumus in iis rebus, quæ ad ipſum hunc Ordinem pertinebunt; non minùs ſanè, quàm ipſi Supremo.

C. 66. Cùm autem ipſe hic Ordo (quod ante dictum eſt) Fraternitas quædam ſit, atque amica Sodalitas, cui ſpontè ſe ipſos ac liberaliter addicunt, ſubmittúntque Equites Confratres; quámque etiam conſtanter obſervaturos, atque retenturos ſe, neque ullâ ratione viola-

violaturos aut deſerturos eſſe, promittere eos atque jurare oportet: idcirco nos ipſum hunc Ordinem atque Collegium volumus, conſtituimus, atque edicimus, jus habere atque auctoritatem ſupremi judicii, liberæque curiæ; quod Arreſtum vulgò dicitur; cogniturúmque ac jus dicturum, de iis rebus omnibus, quæcunque ipſum hunc Ordinem, ejúsque Confratres, & Sodales reſpicient. Ac proinde commonitiones, citationes, pœnas, correctiones, mulctas, exauctorationes, ſive ejectiones, decreta, judicia, résque judicatas, ſive diffinitivas ſententias quaſcunque, & quidquid denique ab hoc ipſo Ordine profectum erit, quod quidem ad res eas (ùt diximus) pertineat, quæ ipſum hunc Ordinem, Confratrésque, ac Socios ejusdem contingent, id omne firmum eſſe, ac ſtabile, vímque ſuam atque executionem perinde habere volumus, atque decernimus; quaſi à Suprema Curia, & quæ ſuperiorem nullam poteſtatem agnoſcat, profectum eſſet. Ideóque nullâ, neque querelâ, neque ſupplicatione, neque appellatione, provocationéve ubivis interjectâ, impediri, frangi, tolli, irritúmve fieri, aut infirmari; neque ejusmodi rerum cognitiones ad aliud ullum cujusquam Principis, aut judicis, aut curiæ, aut ſodalitatis tribunal, quavis tandem ratione, pertrahi; neque vel Supremum ipſum, vel ejus Commilitones huic Ordini adſcriptos, ut alibi juri ſtent, adigi poſſe (nimirum propter liberam ſubmiſſionem, & ſponte, ùt diximus, datum jusjurandum) edicimus, atque teſtamur. Atque hæc quidem univerſa, ſingulóſque articulos, conditionésque, & capita, quæ ſupra conſtituimus, atque decrevimus, Nos, cùm pro nobis ipſis, tum etiam hæredum, Succeſſorúmque noſtrorum Burgundiæ Ducum nomine, hujus Ordinis, amabilíſque Societatis Capitum atque Supremorum promittimus obſervare, implere atque exequi (quantum omnino in nobis erit) plenè, integrè, inviolabiliter, atque perpetuò. Ac ſi fortè in iis, quæ dicta ſunt, obſcuritas, dubitatio, aut alioqui difficultas aliqua comperietur; Nos eorum explicationem, declarationem, interpretationem, determinationémque nobis ipſis, noſtríſque Succeſſoribus hujus Ordinis Supremis reſervamus. Quandoquidem liberum ſemper Nobis, illíſque fore volumus, atque teſtamur, ea, quæ dicta jam ſunt, atque decreta, vel augere novis acceſſionibus, vel emendare, vel immutare, vel obſcura elucidare, atque ambiguis explanationem adhibere, prout ex deliberatione, atque ſententiis communibus, Confratrum, Sociorúmque noſtrorum hujus ipſius Ordinis Equitum expedire videbitur. Præter eos tamen articulos, quos hìc ſubnotabimus. Nempe, eum qui *primus* eſt poſitus, in quo de numero & qualitate militum agitur. *Secundum*, ubi conſtituitur eum, qui ſemel huic Ordini adſcriptus ſit, nullum poſteà alium Ordinem rectè ſuſcipere, niſi cum ea, quæ inibi ponitur, conditione. *Quartum*, qui eſt de Confœderatione mutuáque amicitia inter Ordinis hujus Supremum, & milites Confratres, eorundémque inter ipſos: tum quemadmodum unumquemque alterius conſervandæ exiſtimationi ſtudere oporteat. *Quintum*, qui, quod obſequium Miles Supremo Ordinis debeat, oſtendit. *Octavum*, ubi agitur de ſopiendis à Supremo ſimultatibus, ſi quæ inter Commilitones exiſtant, quæ ad ipſorum perſonas pertineant. *Nonum* atque *decimum* de auxilio mutuo Supremi, & Militum Confratrum hujus Ordinis, in tutanda ſuorum Confratrum exiſtimatione adversùs malevolos, & inſectatores. *Undecimum*, quando, quaque ratione, qui exteri huic Ordini initiati ſunt, militare hoſtibus ipſius Supremi, armáque contra eum ipſum capere, citra famæ detrimentum, poſſint. *Duodecimum*, qui præſcribit qua humanitate & beneficentiâ uti debeat hujus Ordinis Socius erga Conſocium, diverſæ factionis arma ſecutum, quem in bello ceperit. *Decimum quartum*, *quintum*, & *ſextum*, in quibus recenſentur ea facinora, ob quæ dejici miles ab hoc Ordine poteſt: item qua cuíque ratione relinquere eum ipſum Ordinem honeſtè liceat. *Decimum ſeptimum*, de conſeſſu, & quis quem antecedere debeat, in ſermone, ſcriptione, ſimilibúſque in rebus, quæ ad præeminentiam in hoc Ordine ſpectant. *Quadrageſimum primum*, qui quonam modo electionem fieri conveniat, præſcribit, & Supremi vocem, duarum vicem obtinere conſtituit. *Quinquageſimum* etiam *ſecundum*, quo ritu Militem electum recipi conveniat: quæque eodem ipſo Articulo ſive Capite, ſéxque deinde ſubſequentibus, videlicet, *quinquageſimo tertio*, *quarto*, *quinto*, *ſexto*, *ſeptimo*, atque *octavo* ſtatuuntur de novorum Confratrum initiatione; déque jurejurando à ſingulis ſuper electionibus dando. Quos quidem articulos, atque capita, & quæcunque in iiſdem decreta ſunt; ita planè eáque ipſâ formâ, qua ſcripta ſunt, perpetuò rata eſſe volumus, atque decernimus: ut ne quidem ipſis Nobis, Succeſſoribúsve noſtris, qui Supremi atque Principes hujus ipſius Ordinis futuri ſunt, jus ullum prorſus in eis quidquam immutandi reliquum faciamus.

Volumus etiam harum Conſtitutionum, atque Diplomatis exemplo, ſive tranſcripto, quod vel ſigillo noſtro generali vel peculiari ſigillo hujus ipſius Ordinis, vel alio quovis ſigillo legitimo, vel etiam nomine, aut ſubſcriptione Graphiarii, ſive Scribæ ejusdem Ordinis adfirmatum ſit, fidem indubiam, ac plenam haberi, non minùs ſanè, quàm ipſi huic noſtro

primitivo Diplomati. Quod ipſum quidem, ut firmum perpetuò, ac ſtabile maneat, Sigilli noſtri adpenſione munivimus, atque corroboravimus.

Datum Inſulis, Urbe noſtrâ die XXVII. menſis Novembris, anno Domini milleſimo, quadringenteſimo trigeſimo primo.

## §. II.

## *Addita vel immutata in Conſtitutionibus Ordinis.*

Cap. I. Dux Philippus Bonus, hujus Ordinis Auctor atque Inſtitutor, in his Comitiis, quæ Hagæ apud Hollandos habuit, menſe Majo, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo ſexto, ad Caput *quadrageſimum tertium* Conſtitutionum, de Confratrum ſententia, addidit, atque conſtituit, ut quoties ipſo comitiorum tempore, mors alicujus Confratrum certò nuntiata fuiſſet, mox in iis ipſis Comitiis, alius eligeretur.

C. 2. Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Carolus, Burgundionum Dux, cognomento juſtus, filius, hæréſque unicus Philippi Boni Auctoris Ordinis, & poſt hunc ejusdem Ordinis Supremus; accedentibus Confratrum calculis, *vigeſimum ſecundum* caput Conſtitutionum immutans, liberum ſibi, aliísque deinceps Supremis hujus Ordinis eſſe voluit, quantocunque intervallo temporis, quacunque etiam anni parte, comitia agere. Quod ipſum quidem, ab ipſo, poſteríſque ejus eſt obſervatum.

C. 3. Idem Dux Carolus in Comitiis, quæ anno milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo tertio, Valentianis Hannoniæ Urbe celebravit, ut magnificentiâ quadam, atque ſplendore dignitatem hujus Ordinis amplificaret, illuſtrioremque redderet; immutavit ea capita Conſtitutionum, quæ de togis ac veſtimentis agunt: nempe XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. Voluit enim, & ipſas togas, & caputia purpurei coloris, quæ ad id tempus ex lana fuerant, & quidem pellibus ſubinducta, eſſe deinceps holoſerica coccinea, & ſerico albo duplicari: ſimili quidem limbo, ùt antè, ambiente. Voluit etiam tunicas, ſive interiores veſtes, ſimiliter coccineas holoſericas eſſe. Iiſque quatuor hujus Ordinis Magiſtratus, non minùs uti juſſit, quàm ipſos Confratres Equites: niſi quòd illorum togas limbum acu pictum habere vetuit. Et hæc quidem de duobus prioribus Comitiorum diebus decrevit. Tertio autem die, cùm in honorem Divæ Virginis Matris ſacra fiunt, univerſos indui voluit talaribus veſtibus albis, ex eo genere telæ ſericæ, quod vulgò Damaſcenum vocant, caputiis autem coccineis uti, cum dependente ſimili faſcia. Atque eas quidem Equitum Confratrum togas, Supremi ipſius ære, atque ſumptu parari mandavit, atque ab ipſius Ordinis Theſaurario in Comitiorum uſus reſervari. Tunicas autem ipſas, ſive veſtes interiores, tum purpureas, tum albas, veſtéſque item lugubres, unumquemque Confratrum ſibi ipſi comparare voluit, atque apud ſe ſervare. Sed quatuor Magiſtratibus, ut quiſque in hujus Ordinis Miniſterium, & clientelam adſciſcetur, ita hæc omnia Supremi ſumptu ſemel dari, eáque ipſos Magiſtratus apud ſe conſervare debere, conſtituit atque edixit.

C. 4. Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Philippus, Dei gratiâ Princeps & poſtmodum Rex Caſtellæ, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, & Geldriæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ &c. Ordinis Aurei Velleris Supremus, Maximiliani I. Cæſaris invicti filius, Caroli Burgundiæ Ducis ex Maria unica filia nepos; Anno milleſimo, quingenteſimo, cùm Bruxellæ in Brabantia Comitia haberet, de communi Confratrum ſententia, quadraginta illos nummos aureos ſcutatos, quos in hunc Ordinem receptus miles numerare Theſaurario ſolebat, omnibus in poſterum remiſit: ad eúmque modum caput ſexageſimum ſecundum Conſtitutionum abrogavit.

C. 5. Idem quoque Philippus Rex, cùm in iisdem Comitiis animadverteret, quadrageſimum quintum Articulum Conſtitutionum præſcribere, ut de vita & moribus diſquireretur eorum, quorum nomina ante electionem, atque ejus ipſius præparandæ gratiâ propoſita fuiſſent: indignum eſſe, atque importunum exiſtimans, abſentis cujusquam famam in diſputationem vocari, præter ullam neceſſitatem; eum ipſum articulum immutandum ſibi eſſe judicavit. Itáque honori, atque exiſtimationi virorum omnium nobilium conſultum cupiens, in cujusquam ampliùs vitam inquiri prohibuit, niſi qui electus jam ſit. Electione autem demum perfectâ, priusquam illa planè comprobetur à Supremo, aut publicetur, diſputandum eſſe cenſuit, ſingulorum Confratrum præſentium ſententiis, numquid in electo ſit Equeſtri dignitate indignum, cur ad Sodalitium hujus Ordinis evocari non debeat.

C. 6. In iisdem etiam Comitiis idem Rex ſtatuit, ut Proceres hujus Ordinis ſtatim ut cujus-

cujusquam Confratris obitum intellexiſſent; quindecim Miſſarum ſacra, quocunque in templo libuiſſet, celebrari ipſi curarent; ſolidos etiam quindecim, quibus vellent, pauperibus ipſi largirentur: ne videlicet eâ gratiâ pecuniam ad Theſaurarium toties (quod durum atque difficile videbatur) mittere oporteret; quemadmodum Initio Cap. LXIII. inſtitutum fuerat. Ac ne quid in hac re peccari poſſet ignoratione, voluit, ut quotiescunque aliquem de Confratribus mori contigiſſet, id quatuor Magiſtratus ſingulis Confratribus per litteras indicarent.

C. 7. Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Carolus, Regis Philippi filius, Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Legionis, Granatæ, Aragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ Majoricæ, Sardiniæ, Inſularum, Indiarum, & Terræ firmæ Maris Occeani, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, &c. Comes Flandriæ, Artheſiæ, Burgundiæ Palatinus & Hanoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, Ferretti, Hagenoæ, Namurci &c. Princeps Sueviæ, Marchio Sacri Imperii, Dominus Friſiæ, Salinarum, & Mechliniæ, Aſiæ atque Africæ Dominator, Ordinis Aurei Velleris Supremus; quoniam ſibi, unà cum plurimorum acceſſione Regnorum, majorem etiam illuſtrium Virorum clientelam acceſſiſſe videbat, quorum pleríque hujus Ordinis Sodalitate non eſſent indigni; faciendum ſibi arbitratus eſt, ut numerum Sodalium auctiorem redderet: accedente præſertim, non ſolùm Confratrum ſuffragio, ſed adhortante etiam avo Maximiliano I. Cæſare invicto; qui ipſe per conjugium cum Maria Caroli Burgundi unica filia, & hærede hujus ipſius Ordinis fuerat Supremus. At quia primum Conſtitutionum caput, quo numerus Tricenarius, præter Supremum præſcriptus erat, Auctor Ordinis Philippus Bonus immutabile eſſe voluerat; non niſi impetratâ priùs Summi Pontificis Leonis X. auctoritate (quæ litteris Apoſtolicis menſe Decembri Anni MDXVI. datis comprobatur; quibus inſuper litteris Supremum, Equites, & Magiſtratus Ordinis, eorúmque Succeſſores ſummis beneficiis & gratiis Sancta Sedes proſequitur) vicenarii numeri adjectione adauxit: ídque in iis Comitiis, quæ Bruxellæ anno MDXVI. ſunt habita: ut nunc univerſus Confratrum hujus Ordinis numerus, unà cum ipſo Supremo, quinquaginta atque uno Capitibus conſtet.

C. 8. Tertium etiam caput Conſtitutionum idem Rex Carolus mutavit. Námque moleſtum videbatur & grave, aut Torquem ipſum toto anno continenter geſtare, aut illicò mulctam luere quatuor ſolidorum in Miſſæ unius celebrationem, totidémque in eleemoſynam. Quocirca in prædictis Comitiis Bruxellenſibus, re cum Sodalibus deliberatâ, iisdémque aſſentientibus, ita temperavit eam Conſtitutionem, ut, extra certos dies, ac tempora, ſatìs eſſe ſtatueret, ſignaculum modò Aureum Ovilli Velleris, ferramenti igniarii, ac ſilicis vivi figuris ſuppoſitum, palàm, ac nudum, ſinè Torque, deferre; de filo videlicet ſerico tantùm, aut aliunde ſuſpenſum. Dies autem, quibus Torquem ipſum nudatum deferre neceſſe ſit, hos eſſe voluit: Natalem Dominicum, Paſcha, Pentecoſten, eósque dies Sacros, qui ſummas eas feſtivitates ſtatim ſequuntur: omnes item dies, qui feſti ſunt Divæ Virgini Matri: eum qui Circumciſioni Domini: eum qui Aſcenſioni Domini: eum qui Venerabili Euchariſtiæ Sacramento: eum qui Omnibus Sanctis: eum qui Divo Joanni Baptiſtæ, & quotquot Apoſtolis: eum etiam qui tribus Regibus Magis, ac præcipuè quidem eum, qui Beato Andreæ Apoſtolo, tanquam Burgundiæ domûs Patrono, ac tutelari Divo, ſacer eſt. Præterea quoties exequiæ Supremi cujusdam, aut Confratris hujus Ordinis, fient; quotiésque apud Supremum ipſum, vel Comitia, vel Conventus erunt, ubi de negotiis ad hunc Ordinem pertinentibus agetur. Similiter cùm Supremus Oratores exteros, aut admittet, aut dimittet. Ac generaliter quidem, quoties publici Conventus apud Supremum agentur Regnorum, atque ditionum ejus ipſius Supremi, Statuúmque atque Ordinum eorundem. Si quis autem Torquem ipſum, iis temporibus, non geſtâſſet, vel alio tempore ſignaculum, quale diximus, non prætuliſſet, eum ita mulctatum voluit, ut quoties peccatum eſſet, toties ſolidos duos in Miſſæ ſacrum, totidémque in eleemoſynam pauperibus erogaret. Exceptis tamen Rom. Imp. Regibus, ac Ducibus, Supremo ipſi jurisdictione non ſubjectis: utpote quibus ſymboli geſtatio continua ſoleat condonari.

C. 9. Idem quoque Rex Carolus in dictis Comitiis anni decimi ſexti, oſtendit, decimum ſeptimum Caput Conſtitutionum multo jam tempore usque adeò, non fuiſſe obſervatum (quod quidem ad peculiarem Ducum præeminentiam attineret) ut jam in deſuetudinem abiiſſe videri poſſet. Neque enim Joannem Ducem Britanniæ, neque Carolum Ducem Aurelianenſem, neque Joannem Alençonii Ducem, neque Joannem Ducem Cliviæ, aliósque Duces, hujus olim Ordinis Confratres; imò ne Philippum quidem Regem, Patrem ſuum, ac neque ſe ipſum, cùm uterque, & Supremi filius, & in prima ætate titulo Ducatûs Luxemburgenſis inſignitus, in hunc Ordinem lecti eſſent, ullâ eam ob rem prærogativâ fuiſſe hone-

 ſtatos.

ſtatos. Non dubitari tamen oportere, quin auctor ipſe Ordinis Philippus Bonus, iis verbis quibus in eodem Cap. XVII. Duces diſertè, ac nominatim excepit, aliquam iis ipſis prærogativam dignitatis ſupra reliquos minoris tituli Confratres deferri voluerit. Ideóque, ut eas, quæ jam antea fuiſſent, dubitationes tolleret, & futuris occurreret, poſt maturam Confratrum deliberationem, déque eorum ſententia edixit: quicumque Duces, poſt id tempus, in hanc ſodalitatem advocarentur, eos tum in Seſſionibus, tum aliis in Actibus omnibus, qui ad hunc Ordinem pertinerent, cæteris omnibus minoris tituli Confratribus, qui unis pariter Comitiis electi fuiſſent, anteponi.

C. 10. In iisdem item anni XVI. Comitiis, idem Rex Carolus ad eos Articulos ſive Capita, quibus de inquiſitione, atque mulctis conſtituitur XXIX. videlicet, XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. & XXXV. adjiciendum putavit. Etenim cùm Magiſtratus illi quatuor, de quibus ſupra jam dictum eſt ſæpiùs, nempe Cancellarius, Theſaurarius, Scriba, & Fecialis, ſive Rex armorum pro ſua quisque Conditione, ac munere, ad hunc Ordinem Societatémque pertineant; utpote qui Ordini ipſi ſint à Conſiliis, iisdémque omnino privilegiis, libertatibus, immunitatibus, atque prærogativis fruantur, quibus fruuntur Equites ipſi Confratres; ac præſertim, cùm inquiſitionibus omnibus, quæ de iisdem Equitibus Confratribus habentur, atque mulctarum indictionibus ſemper interſint: æquum eſſe ſtatuit, in eos quoque ipſos, ſimiliter inquiri; & mulctas eis, & pœnas, ſi quid peccaviſſent, irrogari.

C. 11. Anno poſtea MDXXX. menſe Decembri, cùm Tornaci Comitia hujus Ordinis celebraret idem Rex Carolus divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator nominis ejus Quintus, capita Conſtitutionum XXXVI. XXXVII. & XXXVIII. quæ ſunt de coërcitionibus Equitum Confratrum, & Magiſtratuum hujus Ordinis explanatione, ac luce indigere judicavit. Cùm enim memoria repeteret D. Joannem Emmanuelem hujus ipſius Ordinis Confratrem, Anno MDXIII. (quo quidem ipſe tempore, tametſi tunc etiam Supremus, minor tamen annis erit) inſcio ſe ignorantibúsque Confratribus aliis, nullâ juſtâ causâ, ſed invidiâ quorundam magnatum, in urbe Mechlinia ignominioſè comprehenſum, atque inde in caſtrum Vilvordienſe abjectum, ibíque diu detentum fuiſſe: prohibere cupiens, ne quid ejuſcemodi in poſterum unquam, aut Confratrum cuiquam, aut Magiſtratuum hujus Ordinis (ut quos tutos ab injuriis omnibus eſſe vellet) poſſet contingere; ex præſentium Confratrum deliberatione, déque eorum ſententia, atque ex plena ſua abſolutáque poteſtate, Edicto perpetuo, atque immutabili conſtituit, atque edixit. Primum quidem, ſe ipſum ſolum, Succeſſoréſque deinceps ſuos hujus Ordinis Supremos (neque præterea quemquam alium) unà cum reliquis Confratribus, aut majori eorundem parte, & quidem in ipſis hujus Ordinis Comitiis, ex Suprema, atque omnimoda jurisdictione, diſceptaturum poſthac eſſe de capite, atque exiſtimatione Equitum Confratrum, quatuórque Magiſtratuum; déque criminibus quibuscumque, quæ admiſiſſe illi dicentur. Deinde quod ad eorum comprehenſionem, & carcerem pertinet, eodem Edicto conſtituit, non aliter ex Confratribus, quemquam, aut etiam ex quatuor jam dictis Magiſtratibus, comprehendere, aut in carcerem ducere licere; quàm ſi vel Supremus ipſe, vel ejus Vicarius, qui idem hujus Ordinis Confrater ſit, ex ipſius Supremi certa voluntate, atque aperto mandato, ac de ſententia ſex Confratrum, aut certè quotquot haberi pro tempore potuerint, id ita fieri juſſerit, atque pronunciaverit. Quæ tamen juſſio ità demum rata ſit, ſi vel manifeſtum per ſe crimen erit, de quo agetur; vel idonea priùs inquiſitione, atque informatione (ùt dicitur) præcedente conſtabit. Præterea non in quemcunque eos Carcerem, aut in publicam vulgarémque cuſtodiam claudi voluit; ſed in peculiari, quam ipſe hic Ordo, atque amica Societas præſcripſerit, cuſtodia ſervari. Poſtremò, quod ad cauſæ ipſius cognitionem attinet: voluit, atque eodem Edicto conſtituit, ut ab Supremo (ſiquidem præſens erit) aut, ſi aberit, ab ejus Vicario, hujus Ordinis Confratre, atque ab aliis pariter Confratribus, captivi Confratris, aut etiam Magiſtratûs, negotium legitimè & plenè cognoſcatur. Sic tamen, ut ſi Supremo ipſo abſente, ac præſidente Vicario, diſcuſſa res fuerit; non quidem ſtatim de ea Vicarius atque Confratres, qui ei in Conſilio adfuerint, pronuncient: ſed ubi plenè disquiſita quæſtio, & tota jam cauſa inſtructa (ùt dici ſolet) atque ad exitum perducta, membris ſuis omnibus conſtabit, ad Supremum ipſum, ubicunque ille locorum fuerit, unà cum ſuffragiis ſuis judicandam remittant. Ipſe verò Supremus, convocatis, atque adhibitis quotquot omnino potuerint Confratribus, atque adeò ad minimum ſex, ídque in ſolemnibus Comitiis, cognitíſque priùs, eorum Equitum Confratrum ſententiis, atque ſuffragiis, qui captivo ipſi habitationis vicinitate propinquiores ſint, majorémque ejus ipſius notitiam habere credantur; totam de integro cauſam præſens diligenter inſpiciat, atque cognoſcat; cognitámque, ex æquo & bono, ipſe tandem judicet, atque definiat. Ipſis tamen illis capitibus intereà, & quæcumque inibi de coërcendo

cauta

cauta ſunt, atque præſcripta, tum ipſo etiam jure, præeminentiâ, auctoritate, dominio, atque jurisdictione ſuâ, Succeſſorúmque ſuorum hujus Ordinis Supremorum, quod ad alia omnia pertinebit, integris, atque inviolatis permanentibus. Ad cujus quidem edicti, atque novæ Conſtitutionis obſervationem, idem Carolus V. Imp. Dux Burgundiæ, Ordinísque Supremus, auctoritate ſuâ Supremâ, atque abſolutâ uſus poteſtate, déque Confratrum ſuorum ſententia, abrogavit, atque abolevit, quæcunque aut in Bruxellenſibus Comitiis, Anno XVI, habitis, aut in aliis antea in diverſam ſententiam conſtituta: eáque omnia, ubicunque in Scribarum Ordinis hujus Commentariis reperirentur, induci imperavit, atque deleri.

C. 12. Iisdem inſuper in Comitiis Tornacenſibus ad Cap. XXXIX. ubi de remittendo Torque agitur, adjecit idem Carolus V. de Confratrum ſententia, ut hæredes defuncti Confratris, non Torquem modò pro inſigni Sodalitatis hujus datum, ſed librum etiam Conſtitutionum, ſimul cum ipſo Torque, vel ad Supremum, vel ad Theſaurarium remittant. Quod ut accuratiùs obſervetur, conſtituit, atque edixit, ut quisque in hunc Ordinem cooptatus, non tantùm propria ſyngrapha, Torquem & librum ſe recepiſſe teſtetur, verùm ad utriusque etiam reſtitutionem ſe obſtringat.

C. 13. Ad Caput ſimiliter XLIV. idem Carolus V. Imp. in iisdem Comitiis addendum exiſtimavit, ut Scribæ Ordinis, non ea modò in commentarios referant, aut Principis ipſius ſive Supremi, aut Confratrum Equitum, cùm mortuorum, tum viventium, præclara facinora, quæ ipſis armorum Rex ſuggeſſerit; quemadmodum illo capite cavetur; ſed ea quoque annotent, quæ ab aliis etiam viris, qui pariter, & fide digni ſint, & res ipſas habere cognitas exiſtimentur, diligenti ipſi inquiſitione certò didicerint: úrque ea, quæ ſic adnotaverint in Comitiis ipſis, Supremo atque Confratribus exhibeant.

C. 14. Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps Philippus Dei gratiâ Rex Caſtellæ Legionis, Aragoniæ, Angliæ, Franciæ, utriusque Siciliæ; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ; Comes Flandriæ, &c. Illuſtriſſimi Ordinis Aurei Velleris Supremus; in primis ejusdem Ordinis Comitiis, ſive Capitulo à ſe celebrato in urbe ſua Antuerpienſi menſe Januario anni Domini MDLV. ſtylo Cameracenſi, judicavit elucidandum eſſe octavum articulum additionum, in quo præſcribitur, quibus feſtis diebus oporteat geſtare Torquem hujus Ordinis: & re cum Equitibus Confratribus communicatâ atque deliberatâ, déque eorum Conſilio, edixit, ac ſtatuit, ut poſthac in omnibus feſtis diebus illic deſignatis, ſinguli Confratres Equites Torquem hujus Ordinis geſtent, non modò in Miſſæ celebratione, atque in ſecundis Veſperis, ſed etiam in Veſperis præcedentis diei, quas primas vocamus; atque omni hora, ac tempore prædictorum dierum feſtorum, quoties in publicum, ſive ad rem ſacram, ſive ad profana negotia, prodibunt.

C. 15. Præterea ut omnem dubitationem, & ſcrupulum tolleret, qui fortè moveri poſſet, ſuper electione novorum Confratrum; occaſione videlicet Mandatorum, ſive Procuratoriorum, aut etiam Schedularum, quas abſentes ſolent mittere ad eos, qui Comitiis interſunt; quibus ipſis generaliter dant liberam poteſtatem eligendi tot nobiles viros, ſtemmatibus, atque inſignibus claros, omníque exceptione majores, quot Confratres à poſtremis Comitiis mortui ſunt; nonnunquam etiam nominant quidem aliquot, ſed pauciores, quàm ſit mortuorum numerus, reſtringentes ſua mandata, ſive procuratoria ad certas perſonas, quas à ſuis Procuratoribus eligi velint (de quibus mandatis, ac ſchedulis mentio fit in XLV. & XLVIII. Articulis ſtatutorum, atque in LIII. Cærimoniarum) idem Rex Philippus, ex ſimili Confratrum ſuorum communicatione, atque conſilio, in iisdem Comitiis Antuerpienſibus, edixit, ac ſtatuit, ut, quoties dicti procuratores abſentium habebunt mandata generalia, ampla, & nullâ reſtrictione limitata, ad nominandos ſive eligendos tot nobiles viros, iis dotibus præditos, quos ſtatuta hujus Ordinis exigunt, quot tunc ſunt loca vacantia; ejusmodi mandata, etiam ſi nulla ſeorſim extet ſchedula, aut deſignatio nominum, recipiantur, atque admittantur pro legitimis mandatis: ita ut virtute eorundem liceat procuratoribus eligere vice abſentium tot nobiles, atque idoneos viros, quot loca vacant. Verùm ſi ſit ſchedula limitata, aut reſtricta ad certum numerum perſonarum, quantumvis etiam parvum, non liceat eum numerum excedere: niſi tamen eis per diſpoſitionem mandati, ſive procuratorii poteſtas atque auctoritas idipſum faciendi concedatur. Quo quidem mandato, ſive procuratorio, utendum erit, prout in ſupra citatis articulis, præſertim in quinquageſimo tertio Cærimoniarum, eſt conſtitutum.

C. 16. Inſuper etiam, quoniam excitari non rarò Controverſiæ ſolent ſuper præcedentiis, & Seſſionibus Confratrum hujus Ordinis; propterea, quòd majores natu, in eodem capitulo electi, contendant indiſtinctè debere præferri cæteris, etiam iis, qui ante ipſos recepti in hanc Confraternitatem fuerunt, Sacramentúmque antiquius præſtiterunt, exceptis

Imperatoribus, Regibus & Ducibus ; aliis verò contrariam ſententiam tuentibus ; fretis videlicet diſpoſitione Articuli decimi ſeptimi ſtatutorum, ut in quo clarè, ac diſertè dicatur, in Equitum Confratrum Seſſionibus habendam eſſe rationem ejus temporis, quo unusquisque in Ordinem hunc Sacramento præſtito receptus ſit : idem Rex Philippus volens ſimiliter elucidare dictum articulum, ambiguitatibúsque, & ſcrupulis omnibus occurrere, qui circa hanc ipſam præferentiam injici fortè poſſent, ac, ſi qui jam injecti eſſent, tollere, atque amoliri cupiens, ex communi Confratrum ſuorum, maturâque deliberatione, atque Conſilio, edixit & declaravit : ea quidem, quæ ad hoc usque tempus circa ejusmodi præferentiam eveniſſent, non eſſe retractanda; ſed rata ac firma eſſe permanſura ; cæterùm in omne poſthac futurum tempus Confratres hujus Ordinis, qui ejusdem ſunt Capituli, ſive electionis, atque eodem die recepti ſunt, habituros eſſe locum in hoc Ordine ante reliquos omnes, qui alio poſt ipſos die recepti fuerint. Quòd ſi plures eodem die recepti ſint, ità quemque eorum alteri prælatum iri, ut priùs Eques auratus factus fuerit. Inter eos verò qui uno eodémque die Equites aurati facti, paritérque eodem die in hunc Ordinem recepti ſint, ad ætatem eſſe reſpiciendum ; atque ita præferendum unumquemlibet eſſe, prout alios ætate longiſſimè præcedit. Salvâ ſemper prærogativâ Imperatorum, Regum, ac Ducum : de quibus in dicto Articulo decimo ſeptimo cautum eſt. Atque has quidem Conſtitutiones, & declarationes ſuas, voluit ac mandavit inviolabiliter, & ſinè contradictione obſervari.

C. 17. Idem Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Philippus, Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ &c. in Capitulo hujus Ordinis, quod die XXIX. & ſequentibus menſis Julii, anno Domini M D LIX. in civitate ſua Gandenſi celebravit, conſiderans præcipuam cauſam inſtituti hujus Ordinis fuiſſe exaltationem, & Conſervationem Fidei, & Religionis Catholicæ, noſtræque Sanctæ Matris Eccleſiæ, hac tempeſtate (eheu!) nimiùm turbatæ, vexatæ, & commotæ propter diverſitatem ſectarum, errorúmque, & hæreſum olim à Sacris Conciliis, & Conſtitutionibus univerſalis Eccleſiæ reprobatarum, & damnatarum : & ob id prævenire cupiens, ne forſan per inadvertentiam, aut aliâ ratione, quispiam ſectarius, aut alioqui ſuſpectus de hæreſi, ad hunc Ordinem promoveri, ſeu commendari poſſet : ordinavit, declaravit, & ſtatuit de communi aſſenſu, & Conſilio Equitum hujus Ordinis ſuorum Confratrum ; quòd in poſterum Equites celebraturi electionem novorum Equitum, præſtabunt ſolemne juramentum, ultra ea, quæ contenta ſunt Articulo ſtatutorum Ordinis quadrageſimo octavo : quòd ſcientes neminem electuri ſint hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum, quódque electio aliter facta nulla erit, & invalida.

C. 18. Item, quòd Equites, tum novitii, tùm antiquiores, ſimul & quatuor Magiſtratus hujus Ordinis, curabunt per ſuos Vaſallos incolas, & ſubditos in ipſorum terris, & dominiis obſervari, & conſervari, quod in ipſis erit, antiquas Conſtitutiones, & Ordinationes noſtræ Sanctæ Matris Eccleſiæ. Et caſu quo deprehenderint contrarium fieri, punient transgreſſores, per ſuos miniſtros, & tribunalia, vel notificabunt illos ipſos exceſſus Regiæ Majeſtati, aut ejus miniſtris, ut nimirum competens remedium adhibeatur.

C. 19. Item, ut ſerviant dicti Equites, & Magiſtratus, tum populo, tùm ſuis domeſticis familiaribus pro exemplo, útque tantò ſecuriùs hi præſerventur ab omni hæreſi, & contemptu Cærimoniarum Sanctæ Eccleſiæ ; dabunt operam, dum cultui divino interſunt, Miſſam ut audiant eâ, qua decet, devotione : ut nimirum tantò magìs perſpicuus reddatur ipſorum purus, & perfectus zelus, quo flagrant erga Deum noſtrum Creatorem, ſuámque Sanctam Eccleſiam, manifeſtantes per exteriora evidentiam perfectionis ſuorum interiorum.

C. 20. Item, quia aliquoties evenit, quòd abſens quispiam Eques, reſidens in remotioribus à loco celebrandi Capituli, admonitus de indictione ejusdem Capituli, cupiens nihilominùs ſuo muneri ſatisfacere, deſtinavit alicui ſuorum Confratrum ejusdem Ordinis, quem opinabatur Capitulo interfuturum, ſuas tabulas procurationis, unà cum clauſa ſchedula, quæ continebat nomina perſonarum ſuo judicio idonearum ad cooptationem in Ordinem ; absque tamen eo, quòd iſtiusmodi procurationi inſerta fuerit expreſſa clauſula ſubſtitutionis, tantúmque poſitâ clauſulâ generali, ad faciendum omnia, & ſingula, quæ ipſemet conſtituens facere poſſet, caſu quo ibidem perſonaliter præſens extitiſſet : unde etiam ſubinde illud ſecutum, quòd occurrente legitimo impedimento, velut ægritudinis, vel abſentiæ causâ Reipublicæ, aut cujusvis alterius, idem conſtitutus Procurator nequiverit in Capitulo comparere, ſubſtitueritque ſuo loco alium quemlibet de Collegio ; quod tamen fieri jure nequibat, quandoquidem ad ſubſtituendum requirebatur facultas ſpecialis, & expreſſa: idem Rex Philippus cupiens ambiguum iſtud declarando elucidare, nec non conſideratione habitâ, quòd ejusœmodi conſtituens, memor ſui muneris, ſedulò ſatisfecerit litteris inſinuatoriis celebrationis Capituli ; quódque inopinata abſentia ſui principalis procuratoris, ei nequaquam

quam præjudicare debeat; ex conſilio, & aſſenſu ſuorum Confratrum, præcipiendo declaravit, quod talis ſubſtitutus habens tabulas procurationis generalis, unà cum ſchedula prænominata, tametſi nulla reperiatur inſerta clauſula ſubſtitutionis, admittetur, & recipietur, tam in cærimonialibus Eccleſiæ, quàm electionibus, & cæteris actibus Capituli.

C. 21. Item veſtigiis inſiſtens nobiliſſimorum prædeceſſorum idem Rex Philippus, deſiderânsque ſua ex parte magìs, magìsque decorare, & exaltare ſuum Ordinem, mandavit: quòd mantella, & caputia nigra, quibus ipſemet Supremus, Equites, & Magiſtratus ejusdem Ordinis, in Vigilia, & Miſſa pro defunctis, uti conſuevêre ex panno laneo, nigro, in poſterum conficiantur, & ſint ex veluto nigro: verbi gratiâ, veſtes ſuffultæ ſerico, Caffa nuncupato, & mantella duplicata ſerico vulgariter dicto Sattino, etiam nigro: Caputia autem ſimilia. De quibus ornamentis providebitur Equitibus, & Magiſtratibus ſumptu Regis, ejusdem Ordinis Supremi. Ita tamen, quòd illorum, quæ erunt Equitum, cuſtodia futura ſit penès Theſaurarium Ordinis; Magiſtratus verò, ſuorum quiſque curam habiturus: ſicut de ornamentis ex Cramoyſino, aliiſque, alibi eſt conſtitutum.

## §. III.

## *Conſtitutiones & Regulæ Miniſtris Ordinis à Philippo Bono præſcriptæ.*

Art. 1. PRimùm conſtituit inſtitutor Philippus, ut hic Ordo miniſtrum habeat, qui Cancellarius appelletur. Cúmque id & magni momenti & præcipuæ dignitatis ſit munus, ac propterea virum requirat inſignem: noluit quemquam ad munus illud admoveri, qui non aut Archi-Epiſcopi aut Epiſcopi aut alterâ quapiam præcipuâ dignitate in Eccleſia Cathedrali aut Collegiata ornatus ſit: aut ſi perſonæ ſeculari ac profanæ concredi id munus contingeret, voluit, ut ea ejusmodi eſſet, quæ & à multa rerum experientia & à præclara fama, & ab inſigni doctrina commendaretur, atque ad literarios Theologiæ, vel Juris Canonici, vel Civilis, gradus promota eſſet.

Art. 2. Voluit item, ut dictus Cancellarius ſub ſua cuſtodia & adminiſtratione habeat Sigillum Ordinis, quod capſæ incluſum ſervabit, cavebítque ullas hoc ſigillo literas obſignare, quæ quomodocunque honorem alicujus Equitis lædant. Niſi tamen id Supremus diſertè præceperit, ac ſex minimùm Equites iis literis ſubſcripſerint, & dum illæ obſignantur, præſentes ſint; in abſentia autem dicti Sigilli Ordinis, hujusmodi literas, ſi quando eas mittere opus ſit, arcano ſuo ſigillo obſignari Supremus curabit.

Art. 3. Item committet eidem Cancellario Supremus vel Supremi Vicarius, ut tempore Capituli ex præſentibus ibidem Ordinis Equitibus inquirat in vitæ rationes & adminiſtrationes ſingulorum (qui eapropter è loco Capituli ſeu Comitiorum alius poſt alium exceſſerint) Equitum; & hic quidquid de his dictum aut relatum à Congregatis Sodalibus fuerit, id omne fideliter Supremo aut ejus Vicario referet, ut conveniens per eos fieri concluſio poſſit: quam deinde concluſionem (ſeu ad laudem & commendationem, ſeu ad correctionem & pænam tendat) Cancellarius Equiti in locum Comitiorum reverſo proponet.

Art. 4. Adhæc tempore, quo electio novorum Ordinis Equitum fiet, accipiet idem Cancellarius tam Supremi quàm cæterorum Equitum ſchedas, quibus ſuffragium pro novis Equitibus illi inſcripſêre, conferétque miniſtris præſentibus numerum ſuffragiorum, publicéque edicet, quot quisque ex nominatis ſuffragia pro electione hac nactus ſit.

Art. 5. Item dictus Cancellarius, aut alius ex Ordine, cui id Supremus commiſerit, ſimul cum quibusdam Equitibus Ordinis, ad id ab eodem Supremo deputatis, excipiet tempore Comitiorum rationes ab Ordinis Theſaurario dandas.

Art. 6. Pariter Cancellarii munus erit, ut ex mandato Supremi in Comitiis Ordinis proponat, quidquid ad honorem, utilitatem, aut bonum Ordinis fore videbitur; quod præſtiturus eſt toties, quoties aut à Supremo, aut Supremi Vicario injunctum id fuerit.

Art. 7. Idem hic Ordo alium præterea Miniſtrum habebit, cujus fidei concredentur ſcripta omnia, privilegia, literæ, Decreta, monumenta denique & documenta literaria, quæ vel ad Ordinis fundationem vel ad alias ejusdem acceſſiones pertinebunt. Idem cuſtodiam monilium reliquiarum ſeu lipſanorum ſacrorum totiúsque ſacri ornatûs, aulæorum, item & Bibliothecæ Ordinis, adhæc totius Equeſtris amictûs, qui ſeu ad Supremum, ſeu ad Equites cæteros pertinet, ſibi commiſſam habebit; ſervabítque hunc ad actus & ceremonias publicas Capitulorum: Eundémque expediet ad locum habendi Capituli; ubi cuique Equiti

ſuum tradet amictum, rurſúmque hunc ab iis recipiet, cuſtodiétque in uſus futuros. Miniſtri autem Ordinis ſuos ſinguli amictus ipſi ſervabunt; Atque ſi quis novus Miniſter eligetur, is amictum ſibi fieri curabit ex eo ære, quod in ſtipendium annuum à Supremo accipiet. *Sed poſtremum immutavit Carolus Juſtus ſeu Audax, qui iiſdem togas & pallia holoſerica cramefino ſubducta abſque diminutione ſtipendii expenſis Supremi dehinc fieri debere inſtituit.*

Art. 8. Si quis Equitum mortuus vel Ordine dejectus ſit, curabit Theſaurarius avelli inſignia, galeam & criſtam illius Equitis ex ſuo loco, in choro Eccleſiæ Fundationis, eáque eò, quò imperatum fuerit, transferri jubebit. Ac ſi alius Eques ejus loco adſcriptus in Ordinem fuerit, idem Theſaurarius curabit apponi inſignia, galeam, & criſtam ad locum, qui ei conveniet in dictæ Eccleſiæ choro. *Hic tamen Articulus locum non habuit, niſi in Sacello Divionenſi.*

Art. 9. Item habebit Theſaurarius officium exactionis cenſuum dotationis ac fundationis Ordinis, item donorum, legatorum, acceſſionum, beneficiorum & emolumentorum quorumcunque, curabítque ut impendantur in bonum Sacerdotum, Equitum & Miniſtrorum Ordinis juxta diſpoſitionem dictæ fundationis. Adhæc alios inſuper ſumptus neceſſarios & convenientes in uſus Ordinis faciet ad imperium Supremi vel ejus Vicarii. Ac de his omnibus ſinceras & exactas rationes reddet tempore Capituli vel coram ipſo Supremo, vel coram illis, qui ex hoc Ordine in hunc finem fuerint à Supremo deputati.

Art. 10. Item curabit fieri libros, quibus inſcribantur omnia dona, legata, eleemoſynæ & beneficia facta Ordini quacunque in re; conficiet etiam indicem monilium & ornamentorum, eáque, quamdiu uſui eſſe poterunt, in Capitulo coram deputatis exhibebit; donorum item in pecunia factorum, cenſuum, vectigalium, ac quarumcunque poſſeſſionum exactas & fideles rationes dabit. Præterea in ſingulis Capitulis proferet nomina & cognomina Benefactorum Ordinis, ſimúlque dona ab illis Ordini facta enunciabit, ut & haberi eorum memoria in precibus poſſit, ſimúlque ſtimulo & incitamento ſint aliis ad benefaciendum.

Art. 11. Item ſcriptorum, privilegiorum, fundationum, augmentorum, rerum comparatarum, literarum, monumentorum & documentorum dicti Ordinis libros conficiet, qui cum Originali collati & approbati, & à Notario vel alia perſona publica legitimo Sigillo ſint obſignati. Atque ex his libris Chartaceis alter remanebit Eccleſiæ Ordinis, alter verò reponetur in Archivum ſeu Chartophilacium Burgundiæ, ibíque fideliter aſſervabitur, ut ſi quo caſu amitteretur Scriptum Originarium, ad hos libros haberi recurſus poſſet.

Art. 12. Item habebit dictus Ordo alium Miniſtrum, quem Libellionem, ſeu Secretarium dicent; eritque unus ex illis Eccleſiaſticis, qui fruentur præbendâ in illa Eccleſia, in qua erigetur fundatio hujus Ordinis, vel alia quæpiam perſona honorata & idonea ſeu ſacra ſeu profana. Is verò Secretarius binos item libros ex membrana conficiet, in quorum utróque ſit deſcripta fundatio Ordinis, uti & inſtitutiones ac ordinationes ejuſdem, ac initio dicti libri inſeretur hiſtorica relatio de fundatore & viginti quatuor primis Ordinis Equitibus, ſuprà nominatis. Eorúmque librorum unum catenâ ferreâ in choro dictæ Eccleſiæ Ordinis, alterum autem in loco Capituli prope Sedem Supremi affiget.

Art. 13. Item conſcribet in librum alium ad id deſtinatum omnia facta laudabilia & generoſa tam Supremi, quam aliorum omnium Ordinis Equitum, quibus illi facinoribus poſt fundatum Ordinem inclaruêre; horum autem factorum notitiam ei Rex Armorum daturus eſt. Exhibebítque in Conventu ante generalia comitia haberi ſolito Scriptum Archetypum ea de re confectum, ut ibidem relegatur & corrigatur, ſi quid neceſſe foret; ſubinde verò in volumen grandius eadem facinora tranſcribi faciet, legenda publicè in Capitulo ſubſequenti.

Art. 14. Item inſcribet Secretarius alteri Libro conventiones, concluſiones & lites Capitulorum Ordinariorum; item culpas ab Equitibus admiſſas, ob quas reprehenſi fuêre in Capitulo, præterea huic inſeret correctiones, animadverſiones, & pœnas illis injunctas; Adhæc contumaciam & culpas eorum Ordinis Equitum, qui nec ipſi comparuêre in Capitulo, nec ſui loco procuratores, eo, quo fieri debuit, modo inſtructos cum documentis & abſentiæ excuſatione miſêre.

Art. 15. Alium inſuper Miniſtrum dictus Ordo habebit, Regem nempe Armorum, qui dicetur *Toiſon d'Or*, virum magnæ prudentiæ & exiſtimationis, ac idoneum & ſufficientem huic muneri; is encauſtum ſeu bullam inſignia Supremi referentem, quam idem ei Supremus tradi curabit, geſtaturus eſt, dum vivet; attamen poſt mortem ejus id encauſtum reſtituendum ab hæredibus Theſaurario erit. Quod ſi autem ſinè fraude & culpa id deperditum in itinere quodam fuiſſet; in eo caſu liberi erunt à reſtitutione præfati hæredes, debebítque Supremus ipſe novum hujuſmodi monile fieri curare.

Art. 16. Hujus Regis Armorum Officium erit ut aut ipſe deferat, aut deferri per alios

viros

viros idoneos curet literas Supremi ad Fratres Ordinis aut ad alios, ad quos illum mittere Supremus volet: idem, quoties illi de morte alicujus Equitis conſtabit, hanc quantociùs ſignificabit Supremo; Feret item aut ferri curabit literas, electionis indices, Equitibus recèns adlectis, eorúmque rurſum reſponſa referet; Denique obibit aut obiri curabit omnes alias legationes, & ſi quid præterea, quod ad eum pertineat, ei à Supremo fuerit præſcriptum.

Art. 17. Item inquiret Rex Armorum ſedulò in facta illuſtria, generoſa & honorifica tam Supremi, quàm cæterorum Ordinis Equitum, eáque ſincerè Secretario Ordinis referet, ut ea inſcribere, uti opus eſt, poſſit.

Art. 18. Ubi poſthac officium Cancellarii vacabit, Supremus convocatis, quotquot poterit, Equitibus Ordinis, qui non debebunt eſſe pauciores quàm ſex; præſentibus, ſi commodè fieri poterit, Theſaurario & Secretario Ordinis, procedet ad electionem novi Cancellarii, qui ſit conſtitutus in Prælatura Eccleſiaſtica, Archiepiſcopali, Epiſcopali, aut aliâ dignitate notabili, in Cathedrali vel Collegiata Eccleſia: Aut perſonæ ſecularis, quæ ſit magnæ commendationis & experientiæ, & ad gradum Theologiæ, Juris Canonici, aut Civilis promota. Atque hæc electio quantocius ſignificabitur electo, diéſque ei conſtituetur, qua ſiſtere ſe Supremo, ſimúlque præſtare jusjurandum debeat; electus verò electione hoc modo intellectâ neutiquam differet Supremum de intentione ſua certiorem facere.

Art. 19. Atque ſi contingeret, ut ſui electionem acceptare electus non vellet, Supremus eodem, quo dictum eſt, modo ad alterius electionem procedet, quoad aliquis, qui jusjurandum præſtet, eligatur: interea verò officium illud exercebitur per Vicarium, quemadmodum Supremo Equitibúſque videbitur.

Art. 20. Cancellarius electus, electione acceptatâ in manus Supremi jurabit: comparíturum ſe in Capitulis & Conventibus Ordinis in perſona propria, niſi morbo vel gravi negotio, vel alio legitimo impedimento prohibitus fuerit; at ſi impeditus is eſſet, ſignificabit id ipſum, ſine dolo, Supremo per literas; qui abſentis loco, pro illa vice ſeu actu, officium illud alteri cuidam perſonæ idoneæ, pro ſuo libitu, committet; quæ item jurejurando ſe obſtringere priùs Supremo debebit.

Art. 21. Cancellario cavendum eſt ſedulò, ne quas literas, honorem Equitum lædentes, obſignet, niſi Supremus id imperet præſentibus ſex minimùm Equitibus Ordinis.

Art. 22. Idem nec amore nec odio, nec timore, favore aut affectu ullo impulſus prætermittet in Capitulis & Conventibus ex fide & debito ſuo dicere & proponere ea omnia, quæ illi fuerint à Supremo injuncta. Adhæc correctiones, quæ in Capitulo decretæ fortè cuipiam Equitum fuerint, eâ ratione, qua illi competet, faciet ſecundùm Statuta Ordinis; inſuper Conſilia Ordinis omnia arctiſſimo ſilentio celabit, atque univerſim pro viribus ſuis, quoad omnia, bene & debitè officium ſuum exercebit.

Art. 23. In electione Theſaurarii eadem omnia, quæ in electione Cancellarii, obſervabuntur; jurabitque electus: ſe rite & debitè cuſtoditurum, conſervaturum & adminiſtraturum monilia, nobilia, reditus & bona Ordinis ſuæ curæ concredita; neque quidquam diſtributurum aut ad uſus alios, quàm ad eos, quos Supremus Ordinis præſcripſerit, adhibiturum.

Art. 24. Idem Theſaurarius ritè & fideliter diſtribuet Eccleſiaſticis, quod illi pro Sacrificio Divino dabitur; Miniſtris item Ordinis pro exercitio muneris ſui; pauperibus item, quidquid è fundationibus doníſque illis deſtinatum erit, fideliter elargietur. Obſervabítque in eo multâ cum ſolicitudine obligationem ſuam; nec quidquam ſibi retinebit, aut iis diſtribuere, quibus opus ſit, differet.

Art. 25. Item dabit Theſaurarius bonas & fideles rationes tam redituum ad Ordinem pertinentium, quàm donorum liberaliter oblatorum, nihil quidquam celando aut retinendo. Denique in omnibus officium ſuum ritè & fideliter pro poſſe ſuo obibit.

Art. 26. Vacante Secretarii munere, eligetur per Supremum & ſex minimùm Equites perſona alia inſignis, quæ habeat dotes ſuperiùs indicatas; eáque, ubi electionem ſuam ratam habebit, conſtitutâ die in manus Supremi, aut ejus Vicarii jurabit: ritè, ſincerè & ſedulò à ſe inſcriptum & in indicem relatum iri ſublimia & egregia facinora Equitum, quæ relata ſibi à rege Armorum fuerint; item quod fideliter in libros ad id deſtinatos adnotabit pænas & correctiones Equitibus Ordinis, in Capitulis aut Conventibus datas; quod in Commentarios acta Comitiorum referet, obligationíque ſuæ in ſcripturis omnibus reſpondebit. Ac præterea quod nulla Ordinis Conſilia propalabit, officioque ſuo pro viribus ſatisfaciet.

Art. 27. In electione regis Armorum, *Toiſon d' Or* dicti, procedetur, ùt de Theſaurario & Secretario dictum eſt, ſéque ſequenti jurejurando obſtringet: ſe nempe inquiſiturum in ſublimia & præclara Ordinis Equitum facta, & ſine omni favore, amore, odio, ſine damni aut utilitatis aut alterius affectûs reſpectu daturum eſſe veram de his relationem Secretario Ordinis, ut in faſtos & commentaria inſerantur.

Art. 28. Item quod ritè & fideliter obiturus ſit legationes, quæ ſibi injunctæ fuerint; quod obedientiam Supremo & Equitibus in rebus omnibus ad dictum Ordinem pertinentibus præſtiturus, neminíque ea, quæ ſecreta eſſe oportebit, ſit evulgaturus; ac poſtremò partes muneris ſui ſe in omnibus ſedulò & fideliter obiturum promittet.

# CAPUT VI.

## *De Equeſtribus Ordinis Comitiis, ac primùm quidem de Magnificis Sacrorum Solemniis & olim à Philippo Bono inſtitutis, & hodiedum in Cæſarea hac urbe ab Ampliſſimo hoc Ordine celebrari ſolitis.*

### §. I.

### *De Magnificis ſacrorum ſolemniis primo olim Comitiorum triduo celebratis.*

TAmetſi in his ipſis, quas modò attulimus, nobiliſſimi hujus inſtituti legibus, in ſua capita ab Authore diſtinctis, ea ferè omnia, quæ ad plenam comitiorum celebrari olim ſolitorum cognitionem pertinere videntur, & ſingillatim recenſita, & dillucidè explicata ſint hactenus; nihilo tamen ſeciùs nonnullam me initurum gratiam à benevolo Lectore ſpes erat, ſi quæ latiùs ibi diſperſa ſunt, hîc ego in unam veluti tabulam collecta proponerem. Itaque ut ab ovo rem ordiar: conſtituerat quidem primùm Ordinis inſtitutor Philippus annis ſingulis, feſtâ Divi Andreæ luce Generalia Ordinis Comitia celebrare; verùm quod & ipſam hanc Comitiorum frequentiam, & hiberni temporis rigorem gravia eſſe Sodalibus, affectæ præſertim ætatis, videbat; ita utrumque temperavit, ut non niſi ſingulis trienniis ea convocari debere, & quidem in alteram menſis Maji diem, in locum à Supremo Ordinis Principe pro rerum opportunitate deſignandum, ſtatuerit: quod tamen ipſum tempus vel protrahere, vel contrahere Supremus poſſet, modò ne intra ejuſdem anni ſpatium repeteretur Conventus. Cui Patris decreto illud inſuper Carolus Audax Philippi filius & ſucceſſor adjecit, ut parte quoque anni quacunque celebrari hæc Comitia poſſent; ad quorum tamen celebrationem decernendam ſex minimùm Equitum conſenſu opus Principi erat, ùt teſtatur Laurentius Blioul *in ſuo ordinis ceremoniali, n. 1.*

Ut verò conſtare certiùs Equitibus poſſet, quo tempore eſſent celebranda hæc Comitia Ordinis; miſſis ad ſingulos literis benevolentiæ plenis invitari eoſdem multò antè à Supremo oportebat, locúmque futuro Generali Conventui deſignari: unáque defunctorum, poſt Comitia ultima, Equitum nomina perſcribi ſingulis, poſtularíque, ut totidem aliorum ſibi virorum nobilium, qui deligi in defunctorum locum poſſent, nomina in ſcheda propriâ manu ſubſcripta, & ſigillô propriô ritè obſignata ſubmittant; ſimúlque ſi venire ipſi (præſertim ſi Reges, Duces, Principes, aut Equites exteri erant) legitimis de cauſis non poſſent; Vicarium quempiam ex iis, qui Comitiis interfuturi erant, Equitibus maturè conſtituant, ita, ut tempori adhuc reſcribere deſtinati Vicarii poſſint; poſsint-


PLVS VLTRA
Hic Carolus Quintus est,
Cujus unica laus est fuiſse Maximum.
Is, postquam orbem omnem peragrando victorijs
Heroes ante ſe omnes præcelluit;
De ipso tandē Carolo omnium victore triumphā,
ut ne quis posterorum superare Carolum poſset,
obtinuit.

poſsíntne in ſe Vicarii munus ſuſcipere: ut ſi quis fortè non poſſit, alius conſtitui adhuc ante Comitia valeat, qui ejus loco, quæ facienda ſunt, præſtet. Poterátque & ipſe Supremus valetudinis aut negotiorum causâ impeditus ex Equitibus cuipiam vices ſuas committere, qui Vicariâ in his Comitiis authoritate præeſſet. Illi autem Vicarii & eorum, quorum vices agebant, excuſabant abſentiam; & eorum ſedes occupabant; & donaria eorum locò inter ſacrificia offerebant; & laudes item aut reprehenſiones pro abſentibus excipiebant; & mulctas ſubibant; & quidquid præſtari leges jubent, Vicario nomine exequebantur; ac demum quidquid actum in Comitiis circa abſentes fuiſſet, id per ſuum ſingulis Vicarium ſignificari oportebat.

Et quoniam Philippus inſtitutionem hujus Ordinis omnem ad DEI Omnipotentis obſequium virtutúmque cultum jam inde à primo ejus exordio referebat. Sapienter ſanè ipſos hos Generales Conventus (ceu præcipuas totius Ordinis ſolemnitates) à cultu Numinis auſpicandas decrevit; útque ritu, quàm fieri poſſet, magnificentiſſimo obirentur, conſtituit. Quod ut fieret, vicenis circiter ante hæc feſta diebus, tres à Supremo Epiſcopi, & novem ex præcipuæ Dignitatis Prælatis evocabantur ad triduana hæc ſacra Comitiorum munia obeunda. Appropinquante deinde Comitiorum tempore Rex armorum (*Toiſon d'Or* dictus) in Eccleſia eorum celebrationi deſtinata tabulas ligneas ſupra ſingulas Ordinis Equitum (tam vivorum, quàm poſt ultima Comitia mortuorum) ſedes affigebat, in quarum tabularum ſingulis ſingula Equitum nomina, tituli, & gentilitia viſebantur inſignia; eo tamen diſcrimine, ut vivorum Equitum inſignia militari galeâ criſtâque ornarentur ſupernè, defunctorum verò ſinè criſtis & galea eſſent. Diſcrepabant & in eo hæ tabulæ, quòd ea, quæ ſupremo Ordinis Principi affigebatur, magnitudine reliquas omnes excederet; quæ verò Regibus, qui Confratres duntaxat Ordinis erant, apponebantur, primâ illâ minores, majores tamen cæteris eſſent; Ducum verò ac Principum nihil quidquam differrent à reliquis minoris dignitatis Equitum tabulis.

Titulorum porrò uſus hic erat, ut ipſi primùm Ordinis ſupremo Principi, Cæſaribúsque ac Regibus titulus adſcriberetur: *Tresbaut*, *Tresexcellent*, *& Trespuiſſant Prince*, id eſt: *Celſiſſimus*, *Excellentiſſimus*, *& Potentiſſimus Princeps*. Imperii Electoribus aliíſque Ducibus ac Principibus præcipuis, qui ſupremum exercebant dominium: neque Ordinis ſupremo Ditionis jure ſubjecti erant: *Haut & Puiſſant Prince.* Id eſt: *Celſus & Potens Princeps.* Ita videre eſt in libro à Joanne Baptiſta Maurice de Equitum horum inſignibus conſcripto, cui titulum fecit: *Le Blaſon des Armoiries de tous les Chevaliers de l'Ordre de la Toiſon d'Or.* ubi fol. 68. Titulum *Caroli Audacis* hujus Ordinis Supremi leges: *Tresbaut*, *Tresexcellent & Trespuiſſant Prince*, *Charles par la grace de Dieu Duc de Bourgougne &c.* fol. 107. Romanorum Imperatoris: *Tresbaut*, *Tresexcellent & Trespuiſſant Prince Frideric d'Auſtriche III. du nom*, *Empereur des Romains*, *& Roy d'Hongrie &c.* fol. 143. Regis: *Tresbaut*, *Tresexcellent & Trespuiſſant Prince François Roy de France I. du nom.* fol. 334. Ducis Electoris Imperii: *Haut & Puiſſant Prince Maximilian Comte Palatin du Rhein Duc des Deux Bavieres*, *Electeur de l'Empire.* fol. 273. Ducis non Electoris: *Haut & Puiſſant Prince Erich Duc de Brunſvich.* fol. 299. Principis: *Haut & Puiſſant Prince Sigismond Batory Prince de Tranſylvanie.* Cæterorum porrò Equitum nominibus (ſeu Duces ii forent, ſeu Principes) nonniſì *Meſſire*, aut, Hiſpani ſi eſſent, *Don*, in iis inſignium tabulis præponebatur. Ita apud eundem Maurice. fol. 272. videre eſt: *Don Jean d'Auſtriche Leutenant Gouverneur*, *Capitaine General des Pays-Bas.* fol. 286. *Meſſire Alexandre Farneſe Duc de Parme & de*

*Plaiſance*, atque hic titulus *Meſſire* Equitibus dari univerſis etiam inferioris conditionis ſolebat.

Affigebantur autem hæ tabulæ, inſignia Equitum, titulóſque referentes in Eccleſiæ, ad ſolemnia Ordinis celebranda deputatæ, choro hoc ordine: ut Supremi tabula ſupremo ad latus chori (quod ingredientibus dextrum eſt) loco ſupra ſolium eidem Supremo paratum appenderetur: tum, ſi Imperator frater Ordinis eſſet, ejus inſigne ad latus ſiniſtrum è regione Supremi ſupra thronum ibidem erectum locabatur. Cæterorum Equitum tam Regum, quàm inferioris Ordinis nobilium gentilitiæ tabulæ ſupra ipſa Canonicorum ſubſellia utrinque ad hunc uſum inſtructa pendebant; ita tamen, ut Reges ſedes omnium primas poſt Supremum tenerent; cæteri poſt hos, juxta ordinem ſuæ electionis ſederent; eâ tamen prærogativâ Ducibus conceſsâ, ut ante cæteros, eâdem cum illis die electos, Equites aſſiderent. Inſtruebantúrque hæ ſedes aulæis tapetibus ac pulvinis multo auro argentóque nitentibus, ùt cujusque dignitas exigebat, magnificè: ac primo quidem die purpureum, ſecundo pullum, tertio colorem crameſinum referebant exceptis Equitum defunctorum ſubſelliis; quæ, ſi Regum erant, pannus ſericus niger aurô intertextus; ſi inferioris Ordinis, pannus itidem ſericus niger, ſed absque ullâ auri texturâ, obtegebat.

Hoc Eccleſiæ apparatu ſic facto, Calendis Maij, qui interſuturi Comitiis erant Equites, poſt meridiem honoris ergò in aula Supremi priusquam ad ſacrum Veſperarum officium is adiiſſet, ſe purpureo Ordinis amictu induti ſiſtebant; à quo viciſſim multâ Comitate accepti in Ordinem, quo procedendum illis in templum erat, ita ſe diſponebant, ut quantò quisque ſenior Eques Ordinis eſſet, tantò locum Supremo propiorem alteri Equiti ſociatus teneret, locô ultimô Ordinis Principi, qui ſinè Comite procedebat, relictô. Atque dum iſta ab Equitibus fiunt, is, qui Divinum in Eccleſia eâ die officium peracturus erat, Antiſtes ſacram indutus trabeam ac pluribus ſacrarii Cuſtodibus, Sacerdotibus ac Cantore ſacelli aulici, qui debito ante eum ordine in modum ſupplicationis præcedebant, Comitatus ex Eccleſia (ubi peragi debebant ſacra munia) ad ſupremi Palatium ſe conferebat: veniénsque ad atrium, in quo congregati Equites erant, relictis in ipſo limine Sacerdotibus cæteris, ſolus omnes Equites præteriens ad Supremum adibat, porrectóque illi ibidem latice benedicto, eodem, quo venerat, ordine cum ſuis (ùt in ſupplicatione publica fieri ſolet) Antiphonas pias in honorem Divi Andreæ Apoſtoli concinentibus in Eccleſiam, Sacris deſtinatam, redibat.

Interea dum Antiſtes ex aula revertitur, univerſi Equites (Rege armorum primùm cum Secretario, dein Theſaurario cum Ordinis Cancellario præcedentibus) ex atrio deſcendentes, paratis in aulæ aditu equis conſcenſis, præſcripto versùs Eccleſiam ordine, procedebant; ita, ut primum quidem tubicines & nobilitas aulica, tum miniſtri armorum, inde fecialium Magiſtri, atque aulæ Præfecti præcederent, hos deinde miniſtri Ordinis Equitésq; ac Supremus ſequerentur. In quo Proceſſu illud præterea obſervabatur, ut ſi quis adeſſet Princeps ſanguinis, is proximum, poſt Principem Ordinis, locum in equitando teneret; quem ſubinde Cancellarius aulæ, tum Cubicularii Principis, ac ſupplicum libellorum Magiſtri, univerſi equis vecti proſequerentur. Cæterùm utrumque ſupremi Principis latus ſatellites ſuis cum haſtis lanceíſque ſtipabant.

Ubi hac cum comitiva ad templi limen Supremus pervenit, idem, qui ſupra, antiſtes à linteatis Sacerdotibus comitatus ad idem limen è templo deſcendens, Supremo rurſum ſacrum laticem, ac ſubinde inſignem ſacris lipſanis crucem oſculandam porrigebat, eóque præſtitô ſe ad ſacrarium recipiebat; Miniſtris Ordinis Equitibúsque interea dum hæc fiunt, versùs ſummam aram nonnihil procedentibus: ita tamen, ut ubi poſt acceptum ſacrum laticem, habitámque cruci venerationem Supremus templum ingredi cæpit, Equites rurſus omnes venerationis ergò versùs eundem regrederentur, exceptúmque inſigni pompâ ad deſtinatam eidem ſedem in duos utrinque ordines diducti comitarentur. Ubi poſtquam conſedit; Equites pariter omnes, honore Principi habito, ſuas ſe in ſedes, inſignibus cujusque notatas, recipiebant, ibíque rurſus veneratione priùs Principi exhibitâ, conſidebant; quatuor item Miniſtri poſt honoremPrincipi ſimiliter habitum prope ipſum Supremum in humiliores paulò (quàm cæterorum Equitum erant) ſedes ſe demittebant ordine tamen dignitatis ſervatô. Licitúmque erat Equitibus ſingulis, ut ſuum quiſque miniſtrum honorarium ſedi ſuæ adſtantem haberet, quò uti eorum operâ, ſi quapiam in re eſſet opus, poſſent: admittebatúrque & cæteræ nobilitati ad hunc Equitum chorùm acceſſus, modò ne quis eorum ſe in ullam ſive Equitum ſive Miniſtrorum ſedem locaret.

Cæterùm poſtquam Equites conſedêre, veſperarum officium ſolemni ritu Antiſtes exordiebatur; atque ubi is ſub Mariano Cantico *Magnificat* thus aræ adolebat, eodem thuris ſuffitu ipſe quoque Supremus, & quidem ſolus, honorabatur; abſolutóque ſic Veſperarum Officio, Completorium quoque decantari cum altero quodam cantu artifici, in honorem Divi Andreæ Apoſtoli concinnato, ſolebat. Poſt quæ eâdem, quâ venerant, pompâ & Ordine in Aulam rurſus Principis revertebantur.

Eædem Ceremoniæ, & Ordo, & amictûs ratio (niſi quòd ſupplicatio Antiſtitis è templo ad aulam ad deferendum Principi laticem ſacrum, fieri ſolùm primâ die ſolebat) ſervata eſt matutinis horis diei ſequentis, quæ Maji dies ſecunda, Ordinis verò præcipua extitit; eâ ſiquidem Sacroſancta Miſſæ ſolemnia magnifico ritu in venerationem Divi Andreæ Apoſtoli, Ordinis pariter & Burgundiæ totius Præcipui Patroni fiebant. Sub qua hæ præcipuè ceremoniæ uſurpabantur, ut poſt Evangelium, à præcipuo eorum, qui aderant, Prælatorum decantatum, Evangeliorum liber ab eodem Principi Ordinis oſculandus deducente armorum Rege, deferretur; ac incenſo ſubinde thure Princeps idem, nemóque præterea Equitum, honoraretur. At verò quo tempore offerre Sacerdos, conſecrandam deinde, hoſtiam ſolebat, eôdem Rex Armorum in medium prodiens trinâ veneratione Supremo exhibitâ, his eum verbis altâ voce prolatis compellabat: *Treshaut*, *Tresexcellent*, & *Trespuiſſant Prince* (addebat hic alios quoque inſcriptos ejus tabulæ titulos nominatim verò Capitis & Supremi) *venez à l' offrande*, id eſt: „ Celſiſſime, Excellentiſſime ac Potentiſſime Princeps venite ad offerendum. „ Ac ſi non Princeps ſed ejusdem tantùm Vicarius præeſſet Comitiis, tum Rex Armorum in fine addebat hæc verba: *Ou Procureur pour vous*: Id eſt, *vel Procurator pro vobis*, quæ verba itidem adjungebat, quoties Equitem ex abſentibus aliquem evocaret.

Supremus autem ſic evocatus, ubi ſuâ ſe cæpit è ſede attollere, Equites Ordinis univerſi ſuis continuò è ſedibus deſcendentes ante Principem in duas ſe lineas, per quas medius ille tranſire ad aram usque debuit, ſtatuebant, manebántque, donec is depoſitis in ara ſacrificialibus nummis ad ſuum rurſus ſolium

revertiſſet. Qua in re illud quoque obſervari hìc convenit, quòd ſi quis Princeps ſanguinis afforet, is à tergo Supremum ſequens offerendum ab eo aurum in pelvi aurea argenteáve ad aram usque deferret; ſi verò hujusmodi nullus haberetur, tum qui ſenio Ordinis Equites reliquos antecedebat, honorarium id Principi præſtabat obſequium.

Supremo in ſolium ſic reducto, Equites pariter ſuas ſedes, honore priùs Principi habito, repetebant: quos ſubinde Rex Armorum ad eadem ſacra donaria facienda, titulo quemque ſuo nominéque, vocabat; binos ſemper conjungens, hoc ordine: ut primùm quidem eum, qui primus in ſede Supremo proximâ ſedebat à dextris, eúmque qui primum à ſiniſtris locum tenebat, appellaret: qui vocati poſt venerationem debitam Principi Supremo exhibitam deſcendebant è ſedibus, ac in medio chori ſpatio conſociati, ſuáque pallia tenentes procedebant ad aram aureum pro ſe quisque nummum oblaturi; quo facto in medium rurſus chori ſpatium reduces, rurſúsque ſe Principi inclinantes ſedes ſuas repetebant, ibíque alterâ rurſus venerationis ſignificatione Ordinis Supremo exhibitâ conſidebant. Sub hæc alii duo, qui proximè his aſſidebant, evocabantur, paribúsque cerimoniis uſi in ſedes ſuas redibant. Id quod etiam deinceps eſt obſervatum à cæteris, qui præſentes Comitiis erant, paritérque ab abſentium Vicariis; qui, priusquam ii, quorum vices agebant, evocarentur, eorum inſignibus notatas ſedes occupabant. Rurſúsque obſervatis, quas paulò antè dicebam, ceremoniis, ad easdem redibant; ſic tamen, ut, his non multò pòſt relictis, ſibi propriam rurſus quisque ſedem repeteret. Quod ſi verò quispiam ex abſentibus Vicarium ſibi ſubſtituere incuriâ quapiam vel errore neglexiſſet; tum hoc offerendi ſacri donarii munus is, qui ſedi ejusdem abſentis Equitis inſignibus notatæ proximus aſſediſſet, obibat.

Quòd ſi verò impar eſſet Equitum numerus, eo in caſu Eques ſociô deſtitutus, vel ejus Vicarius, ſolus ad offerendum accedebat; uti etiam accedebant ſoli & ſinè comite ii, quorum ſedes è regione oppoſitæ erant ſedibus & inſignibus Equitum defunctorum, qui ad offerendum eâ die non evocabantur.

Hac cerimoniâ ita, ùt modò retuli, ab univerſis peractâ, pro munere ſuo Cancellarius Ordinis (aut ejus locò doctus quispiam ac facundus Orator ſacer) panegyricum dicebat ſermonem, quo Ordinem, ejúsque Authorem, omnésque illius Succeſſores Supremos, atque omnes item Ordinis Equites debitis laudibus efferens, quantum ad Omnipotentis DEI gloriam, Divíque Andreæ, Ordinis Patroni, honorem augendum ea inſtitutio contuliſſet, demonſtrabat.

Subinde cùm in ſolemni Miſſa ad *Agnus DEI* eſt ventum, Prælatus idem, qui Evangelii librum oſculandum Principi antea obtulit iisdem, quibus priùs, linteatis miniſtris comitatus, & à Rege Armorum ad Supremum deductus *Pacem* eidem offerebat. Quo facto ubi ad Altare Prælatus is rediit, Diaconus & Subdiaconus Miſſæ officio aſſiſtentes unà eandem *pacem* deferebant Equitibus; & Diaconus quidem iis, qui à dextris, Subdiaconus verò iis, qui à ſiniſtris conſederant.

Miſsâ inter hæc abſolutâ Supremus Ordinis ſolito enſis ictu nonnullos nobiles auratorum Equitum honore donabat, ac ſubinde dato ad reditum ſigno, ordine eodem, quo venêre, à templo in aulam Principis ſublimes equis revertebantur; ubi magnifico excepti conviviô, Equeſtri, ùt erant, amictu induti; in oblonga menſa ſupremo loco Supremus Ordinis Princeps accumbebat ſolus, à dextris verò ſiniſtríſque rectâ ſerie Equites cæteri (monſtratô cuivis ab armorum Rege locô) aſſidebant. Erátque alia inſuper menſa, menſæ Supre-

Supremi oppoſita, quam ſuo pariterOrdinis ornatu inſignes MiniſtriOrdinis occupabant. Solebâtque is, qui inter Antiſtites ad hæc ſolemnia invitatos præcipuus erat, & menſæ Equitum, priuſquam accumberetur, benedicere; & poſt eam rurſus ſolitas Eccleſiæ preces recitare; ac, ſi quid præterea ſacri muneris erat, peragere. Ut verò tantò & magnificentia amplior, & plauſus populi major, ac memoria tantæ rei diuturnior foret, nummi inſuper ſolemnium indices, inter perpetuos tympanorum compeſtrium tubarúmque concentus, grandi copiâ ſpargebantur in vulgus, nihílque omittebatur eorum, quæ ad ejus diei celebritatem, hoſpitúmque lætitiam poſſe facere videbantur.

Interea in Eccleſia, Ordinis obſequiis deſtinatâ, aulæa purpurea cæteráque hujusmodi ornamenta feſtiva removebantur, pullóque omnia panno contegebantur. Candelabra item totidem, quot erant Equites, tam vivi, quàm à proximis Comitiis usque ad præſentia mortui, in loco ad id apparato collocabantur, albis è cera candelis ubíque ſuperpoſitis: quarum cæteræ quidem ſingulæ librarum duarum, Supremi verò trium eſſet; addebantur ad hæc candelis hujusmodi ſingulis ſingula ſcutula, quæ gentilitia tam vivorum, quàm proximè defunctorum Equitum inſignia referebant. His aliíſque ad lugubrem ſolemnitatem in Eccleſia apparatis, remotíſque tandem poſt longum & regale epulum menſis, ſuum ſe in conclave è triclinio recipiebat Supremus atrata ibidem indumenta ſumpturus; Equites verò & Miniſtri, poſtquam eundem eò honorificè comitati fuiſſent, in veſtiarium Ordinis repoſitorium concedentes, purpurea ibidem veſtimenta poſuêre, ſumptóque atro, quem alibi deſcripſi, amictu ad funebre ſe pariter Veſperarum Officium comparabant. Quo poſtquam induti omnes fuêre, in eodem, quo pridie, atrio Supremum præſtolabantur, indéque ſubinde, ordine aliàs memorato & ad pridianas has defunctorum vigilias, & ſequenti die (quæ Maji menſis tertia erat) ad ſacra parentalia eâdem ſeſe pompâ ſiſtebant; niſi quod absque omni tympanorum ſtrepitu tubarúmque clangore peragi res hæc omnis conſueverat.

Illi porrò, quos dicebam, ſingulorum Equitum cerei, gentilitiis eorum ſcutulis ſignati, tam ſub pridianis defunctorum vigiliis, quàm ſub exequiali diei poſteræ ſacrificio accenſi ardebant. Quo verò tempore *Offertorium*, ùt vocamus, à Pontifice peragebatur in Miſſa, eodem Rex Armorum, Supremum quidem ſolum, cæteros verò Equites vivos binos jungens, ùt pridie factum, ad offerendum ſervatis pridianis cerimoniis evocabat, unáque tam Supremo, quàm cæteris, ſuum ſingulis cereum album ardentem cum affixo ſcutulo tradebat in manus, quem acceptum illi ad aram Sacerdoti offerebant; hic verò eosdem hos cereos ardentes rurſus candelabris ante dictis affigi curabat. Ubi autem ad mortuos ventum eſt, eos Rex Armorum cereum album, eorum ſcuto inſignitum, manu tenens eâdem, qua cæteros, voce ſolos evocabat in medium, paulúmque moratus, triſti ſubinde ſono addebat: *Il eſt mort.* id eſt: *eſt mortuus.* Simúlque ejus candelam ipſe, defuncti Equitis locò, offerebat, quæ poſtea extincta ad ſuum rurſus candelabrum reponebatur.

His expletis Secretarius Ordinis pro ſuo munere elatâ voce Fundatoris cæterorúmque Ordinis Supremorum, &, quotquot eatenus fuerant, defunctorum Equitum nomina & cognomina recitabat, eorúmque actus heroicos, & virtutes præcipuas ſummatim referens, univerſos præſentes Equites Ordinis alióſque ibidem aſſiſtentes ad propitiandum iis cœleſte Numen invitabat: quo facto Prælatus, qui cerimonias has funebres peragebat, ſe unà cum Equitibus, totóque populo demittens in genua pſalmum; *De profundis* cum aliis quibusdam

dam orationibus & Eccleſiæ collectis ad obtinendam æternam iis requiem voce lugubri recitabat, finísque unà imponebatur lugubribus hiſce Comitiorum ſolemniis.

Eâ die ad convivium rurſus in aula Principis adhibebantur Equites; & tametſi Supremus ſeparatim prandere tum poterat: teſtatur tamen Laurentius du Blioul Secretarius Ordinis mortuus 1543. (cui præcipuè hanc omnem ceremoniarum relationem debemus) in ſuo tractatu, quem inſcripſit: *Ceremonies du Tresinſigne Ordre du Toiſon d' Or*, ad id usque tempus, quo ſuum id opus in lucem edidit, Supremos Ordinis eâ ſemper humanitate uſos eſſe, ut, ſi per corporis diſpoſitionem liceret, diſſimulatâ perſonæ ſuæ dignitate (privatorum in morem) ſinè ulla loci honoratioris obſervatione cum Equitibus aſſiderent, tunicâ lugubri & capitiis amicti, ſinè lugubri pallio: Miniſtris, ùt pridie, ſeparata in menſa ſuo prandio accumbentibus.

Sub occaſum ſolis ad MARIANUM ſe rurſus Veſperarum officium eodem, quo antehac Ordine conſerentes, candido, quem fol. 26. à Carolo Audace inſtitutum diximus, amictu utebantur, ſedésque & chorum omnem ſerico cramesini coloris panno, auri argentíque texturâ divite, contegebant. Eodémque ornatu & Ordine, præcinente tubarum clangore, matutinis diei proximè ſubſequentis horis ad ſolemnem Miſſam in honorem DEIparæ Virginis decantatam adibant; ſub qua tamen inter rem Divinam accedere ad offerendum nemo præter Supremum conſuevit, eíque honor idem, qui primâ die eſt habitus, ab univerſis Equitibus in laterales duas ſeries diviſis hac quoque die tam ad aram accedenti, quàm ab eadem poſt oſculatam ſacram patenam in ſedem ſuam revertenti delatus eſt. Neque plura de ſanctiori hac Comitiorum Equeſtrium parte, ſeu de ſacris his Ordinis Solemniis annotata apud Authorem *Laurentium de Blioul*, cujus librum, paulò ante laudabam, reperio.

## §. II.

### *Sacrorum Ordinis ſolemnium in Urbe Viennenſi ſub Auguſtiſſimo Cæſare Ordiníſque Supremo, CAROLO VI. inſtitutorum deſcriptio.*

ITaque ad ea me nunc Sacra Ordinis ſolemnia confero, quæ, Supremo Ordinis hujus Nobiliſſimi, Ampliſſimíque Principatu ad Auguſtiſſimum Imperatorem noſtrum, eundémque Hiſpaniarum Regem Carolum VI. delapſo, Vienna Auſtriæ ſe vidiſſe, imò in annos ſingulos etiamnum ſe videre gloriatur. Ac imprimis quidem ſplendoris plurimum & magnificentiæ ea ſolemnitas habuit, quæ inſigne ſanè ſpectaculum anno 1712. die 29. Novembris primùm, ac die rurſus ſubſequenti (in qua titulare feſtum Ordinis, Dies nempe Divo Andreæ Apoſtolo ſacra incidit) Urbi huic Cæſareæ dedit; dum & pridie ad veſpertinum officium, & ipſo Divi Apoſtoli feſto die ad ſolemne ſacrificium hac pompâ & Ordine ex Aula Cæſarea in Cathedralem Divi Stephani Baſilicam ab ipſa imprimis Auguſtiſſima Majeſtate Cæſarea, tum & à cæteris nobiliſſimis Aurei Velleris Equitibus eſt proceſſum.

Poſtquam in interioris Aulæ Cæſareæ atrio Torquati Equites omnes in ſuo Ordinis ornatu, cujus magnificentia alibi fuſiùs eſt deſcripta, convenêre, initium Equeſtris pompa hoc ordine ſumpſit.

Ibat primum novo, eóque ſupra famulorum ſortem eleganti veſtitu inſignis Cæſareorum Camerariorum, eorúmque, qui ab intimis ſunt Conſiliis Cæſari, cætero-

cæterorúmque Ordinis Equitum ſervilis turba longiſſimâ, qua bini binos conſequebantur, ſerie.

Tum pari ordine ſublimes in equis Camerarii Cæſarei, intimíque Conſiliarii, pullo, quem in Conſilio geſtare conſueverunt, amictu induti, galeríſque pennarum criſtâ decoris inſignes ſequebantur; prementibus ſingulorum veſtigia, qui pedites ſuccedebant, honorariis cujúſque Miniſtris domeſticis.

Hos excipiebat ſuas rurſus in claſſes diſtincta famularis Aulæ Cæſareæ turba, cujus veſtigiis ſubinde tubicines, & honorariorum Cæſaris Epheborum longus Ordo inſiſtebat.

Poſt hos equo ſublimis ferebatur Dominus Joannes ab Iſendik Rex Armorum, idémque Theſaurarius Ordinis talari holoſericâ punicei coloris tunicâ, & holoſerico purpurei coloris pallio (cujus oram limbus duplex variis ex auro cirris à phrygione elaboratus ambiebat) aureóque Ordinis Torque (cui pro vellere grande numiſma Aureum, alterâ parte Cæſaris, alterâ Ordinis Inſigne referens, appenſum ſpectabatur) inſignis.

Ejus dextram (pari talaris tunicæ palliíque ornatu decorus, ac inſigni itidem vectus equo) premebat Dominus Joannes Theodorus L. B. ab Imſen Secretarius, idémque Cancellarius Ordinis, eâ re unâ à priori diverſus, quòd appenſam Torqui Aureo capſellam, qua ſigilla Ordinis continebantur, geſtaret.

Hos generoſorum item prementes terga ſonipedum ipſi Equites Ordinis conſequebantur hoc modô: ut, qui poſtremi adſcripti in Sodalitatem hanc eſſent, primi poſt Ordinis Miniſtros procederent; qui primi ex præſentibus adlecti in Ordinem forent, poſtremum locum tenerent. Atque hi omnes puniceis ex holoſerico tunicis talaribus amicti, palliíſque ex holoſerica purpura longo in terram ſyrmate defluentibus, ac multitio albo ac lucenti ſubductis, ornati incredibilem quandam majeſtatem ſpirabant; erat ſiquidem ora Equeſtrium horum palliorum omnis limbo quadruplici eóque lato inſtructa; in quorum extimo, qui niveus erat, repetitum identidem Ordinis lemma: *Je l'ay emprins* literis filo aureo ductis legebatur; alter in purpurâ cirros, neſcio quos, artifici auro ductos miréque implexos referebat; tertius Ordinis ſymbolum: Igniarios nempe calybes, ſilicéſque & emicantes ex quodam velut colliſu ſcintillas eodem auro ſutili fictas objiciebat aſpectui; in quarto demum & intimo artificis phrygionis ingenium, varios rurſus ductos ex eodem auro ſutili flexus felici dexterâ efformârat. Capita porrò Equitum Capitia purpurea in orbem contracta, & ſupernè in quandam veluti coronidem turbinata, eadémque phrygionis acu elaborata, tegebant; è quorum ſingulis longa lacinia, quæ nullo tamen erat auro picta, dependebat. Singulorum adhæc è collo dependens cum Vellere Aureo major Ordinis Torques, ornatûs plurimum majeſtatíſque addebat; ii verò bini procedebant hoc ordine:

1. Dominus Comes Vincentius Oropeſa: & Dominus Norbertus Comes à Colovrat.
2. Dominus Nicolaus Comes de Palfy, Imperatricis Eleonoræ Viduæ Supremus Stabuli Præfectus: & Dominus Adamus Franciſcus Princeps de Schwarzenberg, Cæſareus Supremus Aulæ Mareſchallus.
3. Dominus Ferdinandus de Sylva, Comes de Cifuentes, Marchio d'Alconchel: & Dominus Michaël Joannes Comes ab Althan.
4. Dominus Rudolphus Sigiſmundus Comes de Sinzendorff, Supremus Camerarius Cæſareus: & Dominus Carolus Joſephus Comes de Paar, Supremus Cæſareus Veredariorum Præfectus.

5. Dominus Gundacarus Thomas Comes & Dominus de Starhemberg, Cæſareæ Cameræ Præſes: & Dominus Erneſtus Comes de Windiſchgräz. Nam Dominus Carolus Maximilianus Comes de Thurri & Valleſaxina, qui Comiti Starhembergio Comes eſſe debuerat, ob ſiniſtram corporis diſpoſitionem, ſellâ geſtatoriâ ad D. Stephani deferri voluit.
6. Dominus Carolus Erneſtus Comes de Waldſtein: & Dominus Joannes Leopoldus Donatus Princeps de Trautſon.
7. Dominus Aloyſius Thomas Raymundus Comes ab Harrach: & Dominus Antonius Florianus Princeps, & Dominus de - & in Liechtenſtein, Supremus Cæſareæ Aulæ Præfectus.
8. Dominus Philippus Sigismundus Comes à Dietrichſtein, Supremus Cæſareus Stabuli Præfectus: & Dominus Otto Honorius Comes ab Abenſperg & Traun, Inferioris Auſtriæ Provinciæ Mareſchallus.

Notandúmque: quòd poſt ſingulos Ordinis Equites bini è domeſticis eorum nobilibus pedeſtri comitivâ, Dominorum ſuorum veſtigia prementes, ſecuti ſint.

Cúmque eo jam ordine ſeptendecim nobiliſſimi Equites præter binos, quos dixi, Ordinis Miniſtros præceſſiſſent; Supremus deinde Præfectus Ordinis, Auguſtiſſimus ipſe Imperator, pari cum Equitibus cæteris ornatu corporis, at ſpecie longè ſupra cæteros Auguſtiori ſucceſſit: Cæſareis ſpiculatorum & ſtipatorum Præfectis, ſuis item in equis, Cæſaream Majeſtatem ponè ſequentibus; dum interim utrumque Cæſaris latus longa ſpiculatorum haſtatorúmque ſatellitum turma pedibus incedens protegeret, & urbana cum ſuo Centurione militia agmen omne concluderet.

Ubi verò ad Cathedralem (nunc Metropolitanam) Divi Stephani Baſilicam ventum eſt, in ipſo templi atrio Sacra Majeſtas Cæſarea ab Eminentiſſimo Cardinali de Saxenzeitz, alteróque Eminentiſſimo Cardinali Piazza, Excellentiſſimo Reipublicæ Venetæ Legato Domino Victore Zane, Celſiſſimo Principe & Epiſcopo Viennenſi (nunc Archiepiſcopo & Eminentiſſimo S. R. E. Presbytero Cardinali) Sigismundo à Kolonitz, totóque Reverendiſſimorum Canonicorum Capitulo, ſolitæ venerationis obſequiis honorificentiſſimè excepta, iisdémque comitantibus ad ſacrarium ſeu chorum, pretioſiſſimis aulæis conveſtitum, atque ad erectum ibidem ad dextrum aræ latus thronum deducta eſt. Ibi cùm univerſi Equites, Auguſtiſſimum Cæſarem pulchro ordine tantiſper præſtolati, tranſeuntem debitâ honoris ſignificatione proſecuti fuiſſent, ſimul ac ille ſuo conſedit in ſolio, hi quoque honore DEO primùm in ara, dein Cæſari habito ad paratas ſibi infra Cæſaris ſolium, è dextro aræ latere, ſedes progreſſi ſunt; latus alterum Eminentiſſimis Cardinalibus, & Legato Veneto occupante, dum ſupra dicti duo Ordinis Miniſtri in eodem hoc ſiniſtro latere locum paulò demiſſiorem cæpiſſent.

Sic ad Veſpertinum Officium pridie, ſic in ipſo Divi Andreæ Apoſtoli Ordinis Patroni feſto die ad ſanctiſſimum ſolemnis Miſſæ ſacrificium (quod accinente ſelectiſſimorum aulæ Cæſareæ phonaſcorum choro, Celſiſſimus Viennenſis Urbis Epiſcopus aſſiſtentibus duobus Prælatis infulatis peregit) eſt itum: Ceremoniis iiſdem, quarum aliàs in præſentia Cæſaris uſus eſt, obſervatis; niſi quòd *Offertorii* tempore ſolemnior paulò obſervatus eſt ritus; dum armorum Rex in medium Sacrarii procedens, poſt venerationem trinam, Divino primùm in ara Numini, dein Auguſtiſſimo Cæſari, ac demum Equitibus Ordinis habitam,

ſacrificiales nummos offerendi tempus adveniſſe eâ ceremoniâ innuit : Quare Equites Ordinis omnes,præcedentibus Miniſtris, ante Cæſareum ſolium in duas ſeries diviſi, deſcendentem è throno Majeſtatem Cæſaream ad altare deduxêre, oblatóque ibidem ſacrificiali donario ad ſolium rurſus eodem ordine reduxêre. Cúmque ſubinde ad ſedes rurſus ſuas univerſi Equites revertiſſent, idem armorum Rex ipſos quoque Equites ad offerendum eodem , quo priùs , ritu evocavit; qui omnes unà prodeuntes pulchro ordine, ſic, ut bini binos conſequerentur, præcedente eodem armorum Rege ad aram principem ducti ſunt, peractáque ibidem oblatione ad ſuum rurſus quisque locum, exhibitâ tamen antea Majeſtati Cæſareæ tam in ſuo ad aram aditu, quàm in reditu, debitæ venerationis ſignificatione, reverſi ſunt. Ubi ſubinde ad eam Sacrificii partem perventum eſt, qua *Pacem* dare Sacerdos conſuevit, idem Rex armorum unum ex Prælatis ad aram aſſiſtentibus ad deferendam Majeſtati ſuæ Cæſareæ eandem *Pacem* perduxit. Denique poſt peracta hoc modo Divina , ut ea ſolemnia tantò plus celebritatis haberent, conſuetâ ſtricto enſe in humeros percuſſione, nonnullos præſentium auratæ militiæ honore Majeſtas ſua donavit. Rursúmque eâdem, qua advenerat,pompâ ac ordine (Urbe omni in tam novæ rei ſpectaculum effuſâ) in Cæſaream rurſus Aulam proceſſit.

Hic magnifico epulo à Sacra Cæſarea Regiáque Catholica Majeſtate , tanquam legitimo Ordinis Supremo nobiliſſimi hi Equites in ſic dicta *Equeſtri aula* excepti ſunt: ubi ſuperiori quidem menſæ, in latum protenſæ ac loco paulùm altiori locatæ, Auguſtiſſimus Cæſar, ſuprà deſcriptâ puniceâ Ordinis togâ indutus, ſolus ſub umbella aſſedit; Ordinis verò Equites cæteri menſæ alteri oblongæ, quæ non nisì paulùm à Cæſareâ remota erat , utroque in longum latere accubuêre in hanc propè , quam hìc adjicimus , formam.

Auguſtiſſimus Cæſar.




Miniſtri verò Ordinis bini in alio quopiam propinquo conclavi eodem tempore ſuo itidem epulo, Cæſareâ illis munificentiâ humanitatéque exhibito, aſſedêre ; reſonantibus interea, pulcherrimo gratiſſimóque certamine, muſicis diverſi generis inſtrumentis. Sublatisque deinde menſis ab univerſis Equitibus in Cæſareum conclave Auguſtiſſimus Imperator deductus eſt ; Equitésque cæteri in ſuas quisque ædes remigrârunt.

 Ut

Ut autem tantò eſſet perennior feſti tam ſolemnis memoria, nummi quoque memoriales,tantæque celebritatis indices,cuſi ſunt: quorum altera in parte videbatur Auguſtiſſimi Imperatoris ad vivi vultûs ſimilitudinem expreſſa effigies; in altera verò idem Auguſtiſſimus equo inſidens,Ordinis amictu indutus,exprimebatur. Ei nummo ſupernè in orbem hæc verba legebantur inſcripta: *moribus antiquis*: in baſi verò hæc epigraphe ſubjiciebatur: *Aviti Ordinis Equit. Torquator. Aurei Velleris ſolemnia reſtituta. M. DCCXII. D. 30. Nov. vide Joan. Chriſtian. Lünig in theat. cerem. Hiſtor. Polit. part. 2. partit. 9. Caput 26. §. 5. n. 30. pag. 1129.*

Atque tametſi hæc Ordinis ſolemnia tam inſolenti apparatu ſequentibus hucuſque annis celebrata non fuerint, quo primùm in hanc Urbem inducta ſunt; Habent tamen & iſta multum ſanè magnificentiæ ſingularis, quæ à prima hac pompa, quam paulò exactiùs deſcriptam nunc dedi, ea ferè una in re diſcrepare videtur: quòd equorum ab his ſoleat uſus abeſſe; ídque & ob majorem ipſius Auguſtiſſimi Cæſaris cæterorúmque nobiliſſimorum Equitum commoditatem, & ob ipſam præſertim templi Aulici (Patrum Diſcalceatorum Divi Auguſtini ad Divam Virginem Lauretanam vulgò nuncupati) viciniam, in quo annua hæc Ordinis ſolemnia hodie peragi conſuevêre. Ea tamen, quemadmodum celebrari à Sodalitate hac Equitum ſoleant, hìc ſummatim expediam.

Primùm Cæſareorum Camerariorum & Aulæ Miniſtrorum longa ſeries præit, nigro omnes, qualem in Conſilio adhibere ſolent, amictu induti.

Hos proximè Rex Armorum, Theſaurarius, ac ſubinde Secretarius, idémque Ordinis Cancellarius, amictu ornatúque eodem, qui paulò antè deſcriptus eſt, induti ſequuntur.

His proximi ſuccedunt ipſi Ordinis Equites, Equeſtri ornatu ſuo,Majeſtatis ac Magnificentiæ pleno, togis nempe puniceis, palliíſque purpureis longo in terram ſyrmate defluentibus, eóque, quem alibi vidimus, auri ſplendore decoris, amicti; capitáque capitiis auro pariter divitibus, tecti; Torquibúſque, unde Aureum Velleris Colchici dependet inſigne, decori; ordine obſervari ex ipſis legibus ſolito; quo tantò quiſque Supremo it Principi propior,quantò eſtEqueſtri ſuæ in Ordinem electionis ſenio antiquior.

Poſt quos ipſe tandem Auguſtiſſimus eodem cum Confratribus cæteris amictu ornatus, geminíſque Seniſſimis Ordinis Equitibus à dextra lævâque ſtipatus progreditur; præeuntibus tamen, remotiùs non nihil à Cæſareo latere,Majeſtatem Cæſaream Cæſareis ſpiculatorum haſtatorúmque Satellitum præfectis, quos ipſi deinde Satellites utrumque Cæſaris latus tegentes ſequuntur.

Demum poſt Majeſtatem Cæſaream Pontificius Nuntius, exterarúmque Aularum legati procedunt, eæque omnes ceremoniæ, quas ſupra in Divi Stephani Baſilica obſervatas innuimus, hìc quoque cuſtodiri pari accuratione videmus.

Atque hæc de Sacris Ordinis hujus ſolemniis retuliſſe ſit ſatìs; tametſi enim & alia Ordinis feſta per annum multa occurrunt, quia tamen minus magnificentiæ habent,& ob ipſam frequentiam admirationem parere deſierunt: idcirco eam hìc relationem, ne tædio lectores afficerem, conſultò prætereundam putavi. Vide plura apud *Joan. Chriſtian. Lünig Theatr. cerem. Hiſt. Polit. part. 2. partit. 9. c. 26. §. 5. n. 31. & ſeqq.*

CA-




*Magni Patris Magnus Filius*
*Ea re una discrepabat à Carolo,*
*Quòd, quam ille Magnitudinem Austriæ ferro obtinuit*
*Hanc Philippus nomine et fortunâ Secund.*
*Consiliô et prudentiâ usque adeò auctâ Hæredi reliquit,*
*Ut Austriacis Regnis Sol nunquam occumberet.*
*Princeps, cujus calamum Hostes non minùs,*
*quàm ensem Caroli timuêre.*

# CAPUT VII.

## *De cæteris Comitiorum Equeſtrium negotiis; de Correctione, Ejectione & Electione Equitum juxtà ac Miniſtrorum.*

### §. I.

### *De iis rebus, quæ ante ipſa Generalia Ordinis Comitia pertractari ſolebant.*

DIvinis ita ùt dicebam toto triduo perſolutis quintâ demum menſis ejusdem, Maji ſcilicet, die Comitia auſpicari fas erat eo loco, qui Supremo Ordinis Principi placuiſſet. Tametſi electiones, correctiones, & mulctationes nonniſi in eo, ubi ſacra peracta ſunt, templo ſuſcipi poterant; ſiquidem locus is ad hanc rem fuiſſet idoneus; ſin minùs: peragi hæc debebant in alio, quem Supremus probâſſet.

In hoc autem locô neceſſarium erat, ut Supremus, aut Supremi Vicarius aliquot ſaltem diebus priùsquàm Comitiis habendis initium fieret, & ipſe ſe ſiſteret, & Equites, quotquot adeſſe poſſent, acciret; Ordinis item Miniſtros præſto haberet, quorum operâ & ipſe uti poſſet, & qui maturè ea, quibus ad Comitia celebranda opus eſſe videretur, pararent.

Nec verò inutili otio tempus illud, quod inter eos dies & Comitia ipſa intercedebat, à Supremo & congregatis interea Equitibus terebatur; ſed & procuratoriæ abſentium literæ, quibus ſuam illi authoritatem Vicariis delegabant, diebus illis in privato conſeſſu examinabantur; & ſi quis ſchedam, in qua inſcripta forent eorum nomina, qui in locum defunctorum eligi poſſent, Supremo mittere neglexiſſet; is, quisquis fuiſſet, in præſentibus Comitiis omni ad Equites in Ordinem adlegendos ſuffragiô privabatur. Si verò & abſentiam ſuam excuſare, & procurationis literas quispiam ſcribere omiſiſſet: tum ei (ſi Eques is exterus & Supremo ſubjectus non erat) hanc tamen exhibebat humanitatem Supremus, ut is ipſe Vicarium illi ſubſtitueret eum, qui inſignibus ejus in templo proximus aſſidebat, ad ſolam tamen oblationem (*Offertorium* vulgò dicimus) Sacrificiorum tempore ejus locô faciendam. Si verò Eques Supremo, Ditionis jure, ſubditus id officium neglexiſſet; is non modò Vicarium nullum accipiebat, ſed inſuper per epiſtolam monebatur ſeriò, ut quàmprimùm coram Supremo abſentiæ ſuæ cauſas dicturus ſe ſiſtat; ac ſi parere primæ huic monitioni differret, tum vel per patentes literas, vel rigidiori etiam modô, de Confratrum conſenſu, ad præſtandam Supremo Ordinis Principi obedientiam compellebatur. Adhæc hoc ipſo tempore facta laudabilia ac correctiones Equitum, cæteráque ultimorum comitiorum acta à Secretario Ordinis de ſcripto recolebantur, quò viderent, num ritè omnia, & ex mente Supremi, cæterorúmque præſentium Equitum adnotata fuiſſent; útque, ſi quid perperam videretur inſertum, pro arbitrio ſuo, antequam in pleno comitiorum conſeſſu prælegerentur, corrigerent.

Demum & ſi quis Equitum ob gravius quodpiam dedecus admiſſum, ac ſufficienter perſpectum graviori pœnâ plectendus, aut ab Ordine amovendus videretur, ſolebat ejuſmodi Eques reus ex mandato Supremi, & ſex minimùm Equitum conſenſu, in has ipſas dies per literas, ſigillo Ordinis obſignatas,

ac per Regem armorum aliúmve idoneum hominem ad eundem deportatas, citari; síque citatus coram Supremo, Equitibúsque eidem Supremo tunc præſentibus ad dicendam cauſam vel per ſe, vel per Procuratorem comparuiſſet, dabatur tum opera, ut examinatâ plenè hominis causâ, vel abſolveretur adhuc ante Comitia reus, vel ſi delicti exormitas ita poſceret, condemnaretur; ídque,ut vel abſolutus adeſſe deinde in Comitiis ſinè metu cauſæ ſuæ palàm ad examen totius conſeſsûs revocandæ poſſet; vel damnatus pœnam leviùs ferret: utpote privato in conſeſſu cum minori famæ ſuæ diſpendiô, à paucis; non publico in conſilio, univerſalíque totius Ordinis Conventu ab univerſis decretam. At ſi citatus Eques hujuſmodi, ante Comitia non compareret; tum auditâ priùs ejus miniſtri, qui primus ad eum citandum cum literis miſſus fuerat, relatione (utrùm ſcilicet legitima quæpiam cauſa eum à comparendo præpediret) aut ſecundò rurſus ſtrictiori evocatione jubebatur adeſſe; aut aliud, quod ad frangendam hominis contumaciam Supremo cæteríſque Equitibus idoneum videbatur, conſilium arripi ſolebat: ita ut diſertis citato verbis ſignificaretur, pronunciatum iri in eum ſententiam, quantumvis ad dicendam pro ſe cauſam adfuturus non eſſet.

## §. II.

## *De Correctione Equitum, & eorundem Ejectione.*

POſt hæc aliáque hujuſmodi, diebus hiſce antecomitialibus, in particularibus hiſce Principis Equitúmque conſeſſibus acta; póſtque rem Divinam toto triduo magnifico ritu celebratam, cùm in eo tandem, quem Supremus ſtatuiſſet, loco is pariter, cæteríque qui evocati advenerant, Equites omnes, Ordiníſque miniſtri purpureo induti amictu ſe ſtitiſſent, accuratum univerſis rerum omnium, quæ tractandæ in Comitiis erant, ſilentium imperabatur; præcipuè verò: ut ne quod mulctæ, correctionis aut reprehenſionis ullius, ibidem faciendæ, indicium dimanaret ad exteros: niſi quod Vicariis licebat iis,quorum ipſi vices in Comitiis egerant, indicare res illas, quæ ad illos peculiari quadam ratione pertinuiſſent.

Hoc mandato præmiſſo Comitia Ordinis Cancellarius aperiebat, generatim univerſos nervosâ oratione cohortans ad corrigendum quidquid aut in moribus depravatum, aut in naturæ propenſione vitioſum, aut genere ſuo Ordinéque indignum viderent; ídque contrà omni conatu ſtudióque proſequendum, quod cum virtute veráque laude conjunctum ad peculiare cujuſque decus & famam, ac ad majorem Ordinis univerſi exiſtimationem facere videretur. Poſt hæc Miniſtrorum Equitúmque correctiones fiebant; & qui poſtremus in Comitiis aſſediſſet, ſcilicet Rex armorum, à Cancellario monitus, primus è conſilio excedebat. Interea verò Supremus, aut Supremi Vicarius, aut (univerſi cœtûs nomine) Cancellarius à poſtremo exorſus, Equites ſingulos interrogabat, jubebátque, ut jusjurandi in ipſa Ordinis ſuſceptione facti memores, candidè omníque reſpectu & affectu ſepoſito, liberè dicerent: ſi quid aut vidiſſent ipſi, aut ex aliis audiſſent, aut quavis tandem ratione cognoviſſent ab eo, qui è cœtu exceſſit, dictum aut factum eſſe adversùs dignitatem Equeſtris gradûs, viríque nobilis officium: præſertim verò, ſi quid in leges Ordinis admiſſum ab eo ſcirent, quod infamiam ac turpitudinis notam inurere toti nobiliſſimo huic Ordini poſſet. Síque vel communi omnium, vel plurium ſaltem teſtimonio hujuſmodi quidpiam admiſiſſe comperiebatur; præcipuè ſi leges Ordi-

Ordinis transgreſſum eſſe conſtaret, in hujuſmodi tamen rebus, ut ea propter è ſodalitio excludi non mereretur: tum in locum Comitiorum revocatus, & vel ab ipſo Supremo, vel ab Ordinis Cancellario (Supremi & totius Ordinis nomine) reprehenſus monebatur amicè: ut mores poſthac ſuos ita componere adlaboret, ut ne cui malè de ſe ſentiendi aut ſuggillandi præbeatur occaſio, melióque dehinc fama ad Sodalium ſuorum aures pertingat. At ſi mulcta (quam junctis Supremi cæterorúmque Equitum ſententiis ſtatui opportebat) fuiſſet indicta; eam modeſtè ſuſcipere, promptáque obſequii ſignificatione præſtare mulctatus debebat.

Quodſi verò is, qui excedere tantiſper è Comitiis jubebatur, virtutem coluiſſe, præclarisque facinoribus inclaruiſſe deprehenſus fuiſſet: ei Cancellarius Supremi totiúsque conſeſsûs nomine factâ gratulatione, quantam omnes ex ejus inſigni famâ virtutúmque ſplendore voluptatem caperent, oſtendebat; monebátque, ut præclaris porrò cæptis inſiſteret, majoribúsque indies incrementis ſuam pariter, & univerſi Ordinis exiſtimationem augeret.

Atque ubi primus ſic, ùt dixi, vel reprehenſus vel laudatus ad ſuam rurſus ſedem revertiſſet; poſt eum alii ſuo Ordine Miniſtri, ac, poſt hos, Eques Ordinis poſtremus, inde penultimus, & ſic deinceps alius atque alius, præſentes primùm, deinde, abſentium locò, Vicarii ſuccedebant. Nemóque omnium ab hac erat cenſura eximius; adeò, ut ipſum quoque Supremum, ubi ordo ad ipſum quoque poſtremò pervenit, è cœtu ſecedere, ac ſi quid cenſurâ dignum in ejus moribus, ac vitâ viſum eſſet cuipiam, ſubire mulctam oporteret. Atque adeò cum ſolis duntaxat Regibus in eo vitæ morúmque examine diſpenſari ſolitum fuiſſe apud Laurentium du Blioul in opere ab eodem conſcripto, aliáſque citato *num.* 52. reperio.

At ſi contigiſſet, ut aut infame præſentis cujuſpiam Confratris facinus in ipſis primùm Comitiis innoteſceret; aut ob delictum hujuſmodi jam antè à Supremo intellectum citatus Eques in ipſis ſe tandem Comitiis ſiſteret: tum ei poſt auditam, ſi quam attuliſſet, ſui defenſionem, jus dici à Supremo & majori Confratrum parte debebat. Si verò de abſente Confratre reſcitum hujuſmodi indignum ſcelus fuiſſet: tum aut peculiari epiſtolâ, aut publico Diplomate per quempiam armorum miniſtrum ad eum miſsâ ad dicendam in proximis Comitiis cauſam hunc evocabat Supremus. Síque ſubinde tempore ad pronunciandum conſtituto, de admiſſi dedecoris gravitate liquidò conſtaret; dictâ à Supremo & potiori Confratrum numero ſententiâ (ne quid infamiæ ex hujuſmodi fratris conſortio adhæreſceret Ordini) gradu ſuo & Ordine Eques, tametſi neque per ſe, neque per Procuratorem in Comitiis ſe ſtitiſſet, dejiciebatur; inſignia, ſupra ejuſdem ſedem in loco Comitiorum ac templo Ordinis affixa, revellebantur; omnéque jus geſtandi Torquis abrogabatur; addito inſuper mandato, traditum ſibi Ordinis Torquem quamprimùm Theſaurario Ordinis reſtituendi. Eáque exterminationis ſententia miſſo publico, ſi præſentem ſe in Comitiis reus non ſtitiſſet, diplomate ſignificabatur: ac ſi reddere ille Torquem renuetet; juris ordine, ſi ſubditus Supremi eſſet, in refractarium agebatur; ſin autem alteri foret Principi ſubjectus, tum ea, quæ optima videbatur eundem ad officium compellendi ratio, communi Conſilio inibatur. Atque ita ex ampliſſimo hoc Ordine & Senatu Equeſtri motos, demptóque Aurei Velleris inſigni infamiâ damnatos novimus à Maximiliano (qui tertius hujus celeberrimi Ordinis Princeps extitit) eos, qui ſe & Mariâ Conjuge ſuâ, unicâ Caroli Audacis filiâ,

 & legi-

& legitimâ Burgundici Ducatûs hærede deſertâ, partes in adverſas defecerant. *De quibus vide Franc. Mennen in delic. Equeſtr. pag. 138. item Pirken in Spec. bon. l. 5. la Toiſon d'Or pag. 273.*

## §. III.

### *De Equitum electione olim fieri ſolita, & negotiis, quæ in Comitiis Ordinis tractabantur.*

CORrectione ſic factâ ad electionem novorum Equitum, qui in defunctorum vel ejectorum locum ſuccederent, proceſſum eſt; eósque, qui adlegendi in Sodalitium erant, iis omnes præditos eſſe dotibus oportebat, quas *pag. 19.* requiri in hoc Ordine diximus. In eáque electione ſuum Equites ſinguli habebant ſuffragium, ita ut Supremi unius duorum ſuffragiorum vim obtineret; qui id inſuper prærogativæ habebat: ut ſi duo fortè è Candidatis ſuffragiorum numero pares evaſiſſent, novo eóque tertio, ſi vellet, ſuffragio accedere alterutri poſſet. At verò modus deligendi hic erat.

Defuncto quopiam Ordinis fratre, Rex armorum de ejus obitu admonebat Supremum, hic verò eundem per epiſtolas Equitibus cæteris omnibus indicabat, adhortans: ut in proximis, ſi per tempus liceret, Comitiis vel ſemet ad novum Equitem deligendum ſiſterent; vel, ſi legitima obſtaret cauſa, Vicarium nominarent, cui ſuffragium pro novo Equite (uno, vel pluribus) in ſcheda ritè obſignata ſibi (Supremo) tradendum committerent.

Subinde in ipſis Comitiis Secretarius Ordinis recitabat ex Laureato volumine, de laudabilibus Equitum factis conſcripto, præclara facta & laudes defuncti Equitis: tum ſchedas Equites ſinguli, qui præſentes aderant, &, pro abſentibus, eorum Vicarii proferebant; quibus plures quisque inſcribebat heroës, quos dignos nempe hoc Torquati Ordinis honore cenſebat. Cancellarius verò lectis palàm inſcriptorum nominibus ſuo ſingulos ordine interrogabat: noſſéntne ex omni hoc Candidatorum numero quempiam, quem eligi in hunc Ordinem non expediret? dicebatúrque hìc ab Equitibus, ſi quid probri admiſſum ab eorum aliquo nôſſent.

Tametſi deinde hanc quæſtionem de vita & moribus Candidatorum Philippus Pulcher Rex Caſtellæ, qui quartus huic Ordini præfuit, nonniſi poſt electionem jam factam (antequam tamen plenè eſſet comprobata) habendam eſſe, & quidem de iis ſolùm, qui è Candidatis electi in Ordinem tum fuiſſent, decrevit. ùt *in additionibus c. 5.* videre eſt. Iniquum ſiquidem exiſtimabat tot nobiliſſimorum virorum abſentium, neque Ordini ullatenus ſubjectorum, famam præter omnem neceſſitatem in diſcrimen cenſurámque adduci.

Sub hæc nomine Supremi congregatos Equites, quam in rem conveniſſent, Cancellarius idem monebat, præibátque ſimul jusjurandum, quod eorum ſinguli nuncupare deberent: juraturos nimirum eos in manus Supremi aut ejus Vicarii: ſingulos ſuo loco & ordine in præſenti electione ritè & ſecundùm leges, quibus Ordini obſtricti ſunt, proceſſuros; virúmque (unum vel plures) electuros digniſſimum maximéque idoneum, cujus electio eorum opinione, ſecundùm conditiones in ſtatutis contentas, & in Supremi Ordinis Præfecti, ejúsque ſucceſſorum Ordinis Principum, ac ſubditarum eidem Provinciarum ac Ditionum bonum, nec non in incrementum, commodum, & decus totius Ordinis cedat; neque ob quoscunque reſpectus cognationis, amoris, odii, favoris aut privatæ utilitatis, alteriúsve affectûs ullum ab electione contra

fas

ſas & æquum excluſuros, quem quidem dignum exiſtiment, ut in illuſtrem ac amabilem hanc ſocietatem adlegatur.

His à Cancellario ita prælectis primus Ordine Eques è loco ſuo ſurgebat, & debitâ cum venerationis ſignificatione Supremum Ordinis Præfectum adibat; eóque, quod modò dicebam, jurejurando in ejus manus nuncupato ſuam rurſus ſedem repetebat: ſequebantur ſervato ordine cæteri eodem, quo primus, ritu jurantes. Idque ubi ſinguli ſic præſtitiſſent, Supremus ipſe primum ſeſſionis Ordine Equitem per hujus ipſius jurisjurandi religionem rogabat: quem ille ex omni lectorum priùs candidatorum numero in hunc Ordinem adſcribendum eſſe exiſtimet? at Eques aſſurgens, & ad locum Supremi accedens aureæ argenteæve pelvi, in eum uſum ibidem repoſitæ, ſchedam, cui inſcriptum nomen illius erat, quem electum is voluiſſet, reverenter inſerebat. Huic ſecundus, iſti tertius, tertio cæteri præſcripto omnes ordine ſuccedebant; poſtremò ipſe Ordinis Princeps ſuam quoque ſchedam unà cum iis, quas abſentes è Comitiis Equites probè obſignatas ſubmiſerant, eidem lanci immittebat.

Accedebat deinde Cancellarius, ſchedásque, ut quæque in manus venerat, evolvens, inſcripta ſingulis nomina altâ voce enunciabat, eáque ſimul Secretarius fideli calamo adnotabat, initóque dein ſuffragiorum numero, quot cuíque è Candidatis ſuffragia obveniſſent, Cancellarius pronunciabat. Tum verò Supremus Ordinis Princeps nomen ejus, qui votorum numero cæteros anteiviſſet, proferens: Hunc plurimorum ſuffragiis ornatum ac proinde in fratrem & ſodalem legitimè electum eſſe, promulgabat.

Quod ſi deinde par fuiſſet inter duos ſuffragiorum numerus; tum id juris (in hoc ſolo neque ullo alio caſu) habebat Supremus, ut ad ſuffragium à ſe antè jam datum, aliud rurſus adjungere alterutri poſſet: quo tamen jure uti ſi nollet; novo rurſus ſcrutinio agenda res erat: ſic tamen, ut abſentium Equitum ſuffragia, in miſſis ad Supremum ſchedis data, ſuo rurſum in vigore manerent; quòd nova ab iis obtineri intra tantilli temporis intervallum non poſſent.

Jam verò ſi non morte, ſed ejectione in iisdem Comitiis factâ locus quispiam vacaret, tum (quoniam in iisdem Comitiis eligendus novus Eques erat) ea electio, non petitis abſentium ſuffragiis, per ſolos Equites in Comitiis præſentes fiebat; ita tamen, ut Vicarii abſentium quoque locò ſuffragium darent.

Cæterùm electionem ſic peractam referre Secretarius, in acta Ordinis adſcripto Electionis die debebat. Síque longiùs abeſſet is, qui delectus in Societatem hanc erat, tum Supremus miſſo Rege Armorum aut alio quopiam viro honorato electionem ei ſuam per literas (addito Conſtitutionum libro, ex quo leges Ordinis cognoſcere poſſet) indicabat; petebátque, ut hanc ille benevolè amicéque admitteret; addens: ut, ſi electione admiſsâ adſcribi in Ordinem reipsâ vellet, conſtituto die coram Supremo ſe ſiſteret, quò jusjurandum dicere, Torquem Ordinis recipere, cæteráque præſtare, quæ opus eſt, poſſet. Denique mentem ſuam electus & legato verbis teſtari, & ipſi Supremo per literas ſignificare debebat.

Contra verò ſi electus ea ipſa in urbe moraretur, ubi tum celebrabantur Comitia, aut ita Urbi propinquus eſſet, ut adeſſe in hoc Equeſtri Conventu, priusquam Comitia clauderentur, poſſet; tum ad eum (prout major erat aut minor electi dignitas) vel Equites bini, vel unus certè cum uno aliquo Ordinis Miniſtro mittebatur à Principe, qui electionem ei ſuam referret; ac ſi electionem hanc ille accipere ſe dixiſſet, id ipſum Supremo referebant legati, ſimúl-

S que

que coram eodem Equitem electum ſiſtebant, ùt teſtatur ſæpe citatus *Laur. du Blioul. n. 58.*

Aliter paulò electio Regum, exterorúmque illuſtrium virorum fiebat. Conſtituto enim à Supremo & Equitibus Regum, exterorúmque virorum illuſtrium, quos in Ordinem adſcribere volebant, numero, vocale à ſingulis dabatur ſuffragium, ut tantò ſecuriùs celeriúsque perageretur electio. Vide eundem *Blioul n. 55.*

At ſi, qui in Ordinem adlectus eſt, magnæ potentiæ & authoritatis, Supremo tamen ditionis jure ſubjectus fuiſſet; qui ob negotiorum magnitudinem aut loci diſtantiam in proximis Comitiis ſe ſiſtere coràm non poſſet; tum verò ſolebat Supremus ei, quem electionis nuntium ad hujusmodi virum Principem legabat, Torquem ſimul perferendum committere: ut ubi primùm is electionem ſe accipere, cæteráque præſtare velle oſtendiſſet, præfato Torque per eundem illum legatum ornaretur; eâ tamen lege, ut accepto ſic Torque, ſe in Comitiis proximis, aut in alio certè Conventu vel occaſione coram Ordinis Supremo compariturum, eáque, ad quæ Ordinis ſtatutis obſtringitur, executurum promitteret.

Reges autem & Principes exteri accepto per legatum Ordinis Torque & libro Conſtitutionum, teſtari debebant ſcripto, ſe utrumque recepiſſe; promittereque ſe ſtatuta (demptis iis, in quibus diſpenſari cum Regibus & Principibus extraneis ſolet) obſervaturos; ac poſt ſuam mortem tam Torquem quàm librum Conſtitutionum Supremo aut certè Theſaurario Ordinis remiſſum iri.

Poſtremò denique, ubi is, qui electus eſt, Eques, approbata electione ad imperata facienda ſe Supremo ſtitiſſet, ac viciſſim ab eodem electionis ſuæ cauſam edoctus juramenti Capita (Conſtitutionum Capite 52. 53. 54. 55. 56. & 57. contenta) excepiſſet: ſingula ea obſervaturum ſe (fidem viri nobilis & honorem ſuum teſtatus, ac Sacroſanctæ Crucis ſignum ſacrúmque Evangeliorum codicem tangens) religioſè promittebat, ſimúlque ante Supremum ſe demittens in genua, Torquem Aureum accipiebat, & à præcipuo Equitum, qui Principi Ordinis proximus aſſediſſet, propiùs ad Supremum in ſolio conſidentem deductus, ab eodem Supremo in fraterni amoris teſtimonium oſculo amplexúque honorabatur; quo pariter amicitiæ perennis pignore Equites ex Ordine eum omnes, quotquot aderant, proſequebantur.

Et quamquam præcipua hæc erant Comitiorum negotia, non tamen exiſtimandum eſt nihil quidquam præterea in his conventibus tractari conſueviſſe; quandoquidem in his, & quid ad gloriæ virtutíſque Equeſtris ſtudium in univerſa nobilitate, atque ipſis præprimis Ordinis Fratribus magìs magíſque excitandum conferre plurimùm poſſet, diſquirebatur; & diſſidentium Equitum jurgia componebantur; & in grandioris etiam momenti negotiis litigantium Equitum jura diſcutiebantur: ſic teſtatur *Henricus Bœclerus de rebus ſæculi 16. fol. 149.* latam eſſe ab Equitibus his ſententiam in favorem *Caroli Audacis* contra *Carolum* Geldriæ Ducem, cui Arnoldus Avus Caroli Geldrorum Ducis, Ducatum hunc cum Comitatu Zutphaniæ vendiderat, exhæredato filio Adolpho, qui Patrem Arnoldum ſexennio in duro carcere detinuerat. Pronunciatúmque: venditionem Arnoldi teſtamento firmatam ſuum robur obtinere, & Carolum Audacem omni jure adire poſſeſſionem Geldriæ poſſe. Id quod Haræus *in Annal. Duc. Brabant. tom. 2. pag.* 437. his verbis refert: „Quin etiam menſe Majo pro„ximo Collegium Equitum Aurei Velleris Valencenis celebratum: ubi - -

„ſic

„ ſic contra Adolphum per Procuratorem legitimè auditum, pronunciatum:
„ venditio Ducatûs Geldriæ ac Comitatûs Zutphaniæ, teſtamentúmque Ducis
„ (Arnoldi ſcilicet) juſtum ratúmque cenſetur. Audax Ducatûs Geldriæ ac Co-
„ mitatûs Zutphaniæ poſſeſſionem omni tempore adire poteſt. Adolphus Gel-
„ drius (*qui & ipſe Eques Ordinis erat*) propter inhumanam erga proprium Pa-
„ trem impietatem in carcere vitam finiat. „

Quid quod ſanctioribus etiam curis in id intentos fuiſſe Equites novimus, ut ne quid detrimenti Religio Catholica Eccleſiáque, cujus tuendæ causâ præcipuè inſtitutus hic Ordo eſt, acciperet; atque eam ob cauſam in poſtremis Gandenſibus Comitiis Philippus II. Hiſpaniarum Rex, de communi omnium Equitum ibidem præſentium conſenſu, conſtituit: uti jurejurando dehinc ſe obſtringerent Equites: neminem ſe unquam electuros aut hæreticum aut de hæreſi ſuſpectum. Decrevítque præterea, ut tam Equites ipſi, quàm Ordinis Miniſtri in terris & dominiis ſuis obſervari facerent antiquas conſtitutiones & ordinationes Sanctæ Matris Eccleſiæ, útque in transgreſſores non ſolùm ſeveris pænis animadverterent, ſed & Regiæ Majeſtati, regiíſque ejusdem Miniſtris deferrent. Ipſi verò interim tam familiaribus & domeſticis, quàm cæteris ſubditis ſuis ſinceræ Devotionis exemplo prælucerent, eáque, qua par eſt, reverentiâ Divinis in templo officiis intereſſent.

Cæterùm his aliíſque hujusmodi negotiis aut plenè peractis, aut in capitulum proximè ſecuturum dilatis, finis generalibus Comitiis imponebatur, ac priusquam è loco conſeſsûs habiti excederent Equites, à Cancellario Ordinis oratione, ad tempus locúmque appoſitâ, ad vitam cum laude virtutéque conjunctam, mutuámque inter ſeſe concordiam amorémque excitabantur.

## §. IV.

### *Quid obſervatum ſit olim, ſi quando novum quempiam Supremum Ordo obtinuiſſet.*

PRæter ea porrò, quæ de indictione Comitiorum & Equitum creandorum ratione hîc dicta ſunt, monuiſſe & illud hîc convenit, conſtitutum à Philippo Ordinis inſtitutore fuiſſe, ut, ſi Supremo Ordinis Principe vitâ functô, hæres ejus ob ætatem adhuc impar tractandis rebus Ordinis eſſet; aut, ſi filiam ille ſinè hærede maſculo reliquiſſet; fas eſſet Equitibus in unum locum convenire, auditíſque ſingulorum ſententiis unum quempiam ex Ordine Equitem, in quem ſuffragia plurium conveniſſent, deligere; qui vel minoris Principis nomine, dum ad ætatem ille idoneam perveniſſet, Equeſtri huic Sodalitio, ejusdem impendiis ſumptibúsque, cùm imperio præſideret; vel (ſi hæres filius deeſſet) tam diu Supremi munus obiret, quoad filia defuncti Principis viro nupſiſſet, qui & Eques eſſet, & ob ætatem tractandis per ſe Ordinis negotiis idoneus foret, atque inſuper præfuturum ſe ſecundùm Ordinis leges jusjurandum dediſſet.

Evenítque ea res non multo poſt tempore, poſtquam nempe infelici ad Nancejum prælio cæſus eſt, relictâ unicâ filiâ hærede, Carolus Audax. Hinc factum, ut, cùm ſubinde Maximilianus Friderici III. Romanorum Imperatoris filius hanc ſibi Caroli filiam Mariam matrimonio conjunxiſſet, factâ ſibi ab inſtitutore Philippo poteſtate uſi ſint Equites, quò Maximilianum Archiducem Auſtriæ legitimúmque, poſt has nuptias, Burgundiæ Ducem ſimul & Ordinis ſui Torque donarent, & Supremum Ordinis Præfectum agnoſcerent. Id

quod ſequentibus verbis *Limneus ex Gerardi de Roo Annal. Auſtr. l. 9. pag. 328.* exequitur. „ Carolo Ducum Burgundiæ poſtremo ad Nancejum ab Helvetiis „ interfecto, cùm Ordo Supremo defenſore & quaſi Capite careret, Aurei Vel- „ leris Comitia Brugis fuère inſtituta anno 1478. & per Oliverium Marchia- „ num (quem Supremum aulæ Præfectum fuiſſe Author libri *la Toiſon d'Or* te- „ ſtatur) peracta peragenda, miſsíque feciales ac Nuncii, qui Reges, Principes, „ cæterósque Proceres, Ordinis Equites, convocarent. In Galliam qui miſſi „ erant,non ſatìs benignè excepti ſunt. Nam Ludovicus Rex Burgundiæ Du- „ catum à morte Caroli ad ſe devolutum eſſe contendebat, & Aurei Velleris „ Ordinem à nemine alio, quàm à ſe, conferri poſſe. Cúmque Equites quos- „ dam in ſuo regno haberet, neminem eorum Brugas ad Comitia proficiſci „ permittebat. Abſentium itaque à Legatis, & præſentibus,ultimo Aprilis die, „ quo Aſcenſio Chriſti celebrabatur, Comitia haberi cæpta, & Tornacenſis „ Epiſcopus Ordinis Cancellarius luculentâ oratione de ejusdem inſtitutione, „ incrementis & dignitate quædam præfatus, Maximiliano Archiduci Auſtriæ, „ ad quem Burgundia cum reliquis ditionibus demortui Caroli, nuper matri- „ monio cum Mariâ Caroli filiâ & hærede contracto, pervenerat, commenda- „ vit. Ad ea Maximilianus per Joannem Boverium Conſilii ſui præſidem re- „ ſpondet : ad DEI optimi Maximi honorem, Orthodoxæ fidei defenſionem, „ & Equeſtris dignitatis augmentum omnia ſe pro virili præſtiturum, quæ à Ma- „ joribus hactenus & inſtituta & ſervata eſſent. Atque ita Cancellarius nuda- „ tum vaginâ gladium à feciali acceptum Ravenſteinio in manus dedit, qui „ Principi ſolemni more Equeſtrem contulit dignitatem. Inde in ſacrarium „ templi deductus, ſolitum Ordinis habitum induit, mox in medium templi „ progreſſus, loco editiore, ubi ab omnibus videretur, poſtquam in verba juràſ- „ ſet: Lanoyus, qui Collegas ætate anteibat, catenam cum Vellere Aureo illius „ collo circumdedit, in hæc verba ipſum allocutus: Quod felix fauſtum faxit „ Deus, Sereniſſime Princeps, ob ſummas virtutes animíque fortitudinem, ge- „ neris tui, ac fortunæ Celſitudine dignam, Equeſtris Aurei Velleris Ordo in „ ſuum te Collegium aſſumit, ſummúmque & Collegii & Ordinis Principem & „ defenſorem creat. „ Hæc cùm ex Gerardi de Roo Annalibus adduxiſſet, ſubdit poſtremùm : „ Atque inde eſt, quod hodie Reges Hiſpaniæ, qui à Ma- „ ximiliano originem & cauſam trahunt, hujus Ordinis adhuc hodie quoque „ ſint Præſides, tanquam Duces Burgundiæ, non tanquam Auſtriæ Archiduces. „ Ita ille *tom. 2. Juris publici Imperii Romano Germanici. l. 6. c. 2.*

Juramentum autem Maximiliani ſequens fuiſſe ex ſæpe citato authore libri *la Toiſon d'Or* pag. 208. colligitur : „ Ego Maximilianus DEI gratiâ Archidux „ Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Caput ac Supremus Ordinis Velleris Aurei, „ promitto in verbo Principis, & juro ad hæc Sancta DEI Evangelia, & ſuper „ Crucem Sanctam, intertenere atque adimplere deinceps, perpetuò ac integrè „ & inviolabiliter pro poſſe meo ſtatuta & ordinationes dicti Ordinis Velleris „ Aurei juxta eorum formam & tenorem. „ Addit præfati libri Author, Principem juramento ſic dicto Crucifixi ſimulacrum devotè exoſculatum fuiſſe, ac tum Dominum de Lanoy acceſſiſſe cum Torque ad Principem, atque cùm Torquem priùs oſculô veneratus fuiſſet, eum in collum tandem Archiducis impoſuiſſe his verbis : „ Domine mi, Ordo Velleris Aurei vos recipit in Caput ſuum „ & Supremum, &,in Signum ejus,vobis præſentat iſtud collare; det DEUS, „ quòd diu portare, dictóque Ordini præeſſe poſſitis ad laudem ſuam & ſervi- „ tium, ad exaltationem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ad augmentationem & honorem „ dicti Ordinis, meritorúmque veſtrorum & bonæ famæ. In Nomine Patris,

„ & Fi-

„ & Filii, & Spiritûs Sancti. „ Hunc autem de more reſpondiſſe: „ Amen, DEUS hanc mihi det gratiam. „ Quo facto ductum Archiducem fuiſſe ad ſolium, pannis auro argentóque intertextis, pretioſum; quò ibidem tanquam Caput Supremum univerſo Ordini præſideret.

Subhæc cùm Equites, qui eum deduxerant, modeſtê reverentérque in ſuas ſe ſedes recepiſſent, ſolúsque Ordinis Cancellarius remanſiſſet cum Principe; acceſſit continuò Rex Armorum Miſſale cum cruce deferens, quod cùm ille coram Archiduce explicuiſſet, ſua ociùs è ſede *Lannoyus* ſurrexit, & ante Principem ſe demittens in genua, alteráque manu Crucifixi ſimulacro, alterâ ſacro Miſſæ Evangelio appoſitâ, jusjurandum dicere Principi in hæc verba exorſus eſt: „ Ego *Joannes de Lannoy* promitto & juro ad hæc ſancta DEI Evangelia, & „ ſuper crucem ſanctam Vobis Sereniſſimo Principi Maximiliano Auſtriæ & „ Burgundiæ Duci, Capiti ac Supremo Ordinis Velleris Aurei reverentiam „ debitam & honorem; Vobíſque in omnibus, debitum & negotia dicti Or- „ dinis concernentibus ac reſpicientibus, obedire ſecundùm ſtatuta & ordina- „ tiones ejusdem Ordinis; quemadmodum articulos in mea ad ipſum Ordinem „ receptione ſolemniter juravi & promiſi. „ Secundùm quod jusjurandum dictus Archidux Lannoyum manu leniter ſublevans oſculô dignatus eſt in fraterni perpetuíque amoris indicium; ille verò, ſolitâ honoris ſignificatione Principi habitâ, cùm ad ſedem revertiſſet, ſucceſſit ad idem jusjurandum præſtandum *Adolphus Dux Cliviæ*, idémque *Ravenſteinii Dominus*, qui ſecundum inter Equites locum obtinebat; paríque cum priore humaniſſimi Principis benevolentiâ affectúsque fraterni ſignificatione acceptus eſt. Cúmque ſervato ordine omnes, ad poſtremum usque, eodem ſe Principi ſacramento obſtrinuiſſent, eádemque ab illo fuiſſent amoris intimi ſignificatione honorati; procidit pariter in genua ante eundem Archiducem Cancellarius Ordinis *Fridericus de Clugniaco* Epiſcopus Tornacenſis paritérque manu alterâ Miſſali ſacro, alterâ Crucis ſimulacro injectâ, ſolemne Sacramentum in hunc modum pronunciavit: „ Ego „ *Fridericus de Clugny* Epiſcopus Tornacenſis, Cancellarius incly̆ti Ordinis Vel- „ leris Aurei, promitto & juro Vobis Sereniſſimo Principi Domino Maximi- „ liano DEI gratiâ Auſtriæ & Burgundiæ Duci, Capiti ac Supremo dicti „ Ordinis Velleris Aurei, reverentiam debitam & honorem: Vobíſque in his, „ quæ præfatum Ordinem, ac Debitum officii mei Cancellariatûs ejusdem Or- „ dinis concernent ac reſpicient, obedire, ſecundùm formam & tenorem or- „ dinationum pro quatuor officiariis ipſius Ordinis factum, & ſicut in mea ad „ officium hujusmodi receptione pridem juravi & promiſi. „ Poſt quod juramentum Serenitas ſua perhumaniter eundem elevavit, atque ob reverentiam Dignitatis Epiſcopalis peramanter, ſinè oſculo tamen, amplexa eſt. Secutus ſubinde Theſaurarius, Secretarius, & Rex Armorum eâdem propè verborum formâ (ad cujusque munus, quod gerebat, accommodatâ) jusjurandum dedêre; quibus ſubinde Princeps in benevolentiæ ſuæ conteſtationem dexteram ſuam perbenignè porrexit. Atque ita ſolemnis hæc Supremi inauguratio peracta eſt, poſt quam in eorum locum, qui (quòd Ludovico XI. Galliarum Regi adhæreſcerent) ordine hoc ſuo dejecti ſunt, alii per eundem hunc Principem ceremoniis aliàs uſitatis cooptati fuêre.

Nunc Ordo quidem materiæ poſcere videbatur, ut & de miniſtrorum electione, qua ratione quibúsve cerimoniis ea fiat, referrem: ſed quando ea res omnis in allatis *n. 53. & ſeq.* miniſtrorum ſtatutis exactè minimèque confusè deſcribitur; hinc ne eadem recoquendo lectori moleſtus ſim, ad illarum eum regula-

gularum lectionem remitto. Id unum monens: potuiſſe nempe hos etiam extra GeneraliumComitiorum tempora à Supremo & ſex minimùmEquitibus,in privato Conventu præſentibus, eligi; quo modo etiam alia quædam minoris momenti negotia Ordinis à Supremo pertractari in privato Equitum Conſilio conſuevêre, præſertim poſtquam ob auctas, cum Ditionum regnorúmque acceſſione, curas rariùs Generalia hæc Ordinis Comitia convocari à Principibus potuêre, adeò ut eandem ob cauſam penitus tandem intermiſſa hæc fuerint.

## §. V.

### *De Numero, loco & tempore Generalium Comitiorum.*

QUoniam tamen ad pleniorem rerum Ordinis cognitionem pertinet, nôſſe quot, & ubi, & quando hæc Comitia celebrata ſint, ac quamdiu publica hæc Comitiorum Equeſtrium ſolemnia in hoc Ordine perdurârint; ea ſingillatim hic referre eſt animus.

Primùm itaque ipſa Ordinis inſtitutio facta eſt à Philippo Bono Brugis Flandrorum, die 10. Januarii anni, ùt Galli quidem tum computabant 1429. at Romano calculo 1430.

Prima ſubinde ipſa Ordinis jam inſtituti Comitia ab eodem Philippo celebrata ſunt Inſulis in Eccleſia Sancti Petri anno Domini 1431. Ubi etiam conſtitutionibus ab authore conditis firmatus eſt Ordo.

Secunda Brugis ab eodem ſunt habita & quidem in Eccleſia Sancti Donati, aut, ùt alii volunt, S. Donatiani, anno Domini 1432.

Tertia Divione in Ducatu Burgundiæ in vigilia D. Andreæ Apoſtoli 1433. idem Author celebravit; ubi etiam ſubinde adjectis ſex aliis Equitibus, numerum jam priùs inſtitutum complevit.

Quarta Comitiorum ſolemnia fuêre Bruxellis in Eccleſia ſanctæ Gudilæ, anno 1435.

Quinta rurſus Inſulis in Divi Petri Eccleſia ſunt celebrata anno Domini 1436. die 5. Januarii.

Sexta indicta quidem fuêre Atrebati ſed & anno 1437. & 1438. & 1439. fuerunt rurſus revocata, tandem verò Audomaropoli in Eccleſia Abbatiæ S. Bertini aperta ſunt anno 1440.

Septima convocata & celebrata fuêre Gandavi in Flandria in Eccleſia S. Bavonis anno Domini 1445.

Octava Montibus Hannoniæ in Eccleſia S. Waltrudis congregata fuêre die 2. menſis Maii anno 1451.

Nona Hagæ Comitis in Hollandia in templo Urbis Principe die 9. Januarii, vel ùt in M. S. mihi ab Illuſtriſſimo quodam fautore communicato reperi, die 12. Maii anni 1456.

Decima iterum Audomaropoli in Arteſia Philippus Ordinis inſtitutor coëgit, & quidem rurſus in Eccleſia Divi Bertini, ídque die 2. Maii anno 1461. Eáque ultima fuêre inſtitutoris Philippi, quippe, qui dubiâ ſemper poſtea valetudine uſus ſexto tandem poſt hæc Comitia anno Brugis obiit.

Undecima, Supremo Ordinis Principe Carolo Audace, Brugis in Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Mariæ celebrata ſunt anno Domini 1468.

Duodecima ſub eodem Principe Valencenis in Hannonia in Eccleſia S. Pauli ſunt habita die 2. Maii anno 1473. cúmque hic Princeps tertio poſt anno in prælio ad Nancejum cæſus fuiſſet, eam ſubinde Ordinis præfecturam die ultimâ

timâ Aprilis anno 1478. adiit Maximilianus Archidux Auſtriæ, Caroli Audacis gener. ſtatímque die ſequenti.

Decima tertia ab eodem Archiduce Comitia Ordinis in Eccleſia S. Salvatoris ſunt celebrata die 1. Maii anno 1478.

Decima quarta idem hic Archidux convocavit Sylvæ Ducis in Brabantia in templo Divi Joannis die 6. Maii anno 1481.

Decima quinta Philippus Pulcher Maximiliani filius celebravit Mechliniæ in templo S. Rombaldi 24. Maii anno 1491. quibus in hunc Ordinem adſcripſit avum ſuum Fridericum III. Rom. Imper. & Regem Hung.

Decima ſexta ab eodem habita ſunt Bruxellis in Eccleſia P. P. Carmelitarum Calceatorum die 17. Januarii anno, ùt nos computàmus 1501. ùt veteres Galli 1500.

Decima ſeptima idem Philippus Pulcher aperuit Midelburgi in Zeelandia in templo Abbatiæ anno Domini 1505.

Decima octava Ordinis Comitia celebravit Carolus Philippi Pulchri filius Hiſpaniarum Rex, qui deinde Quintus hujus nominis Romanorum Imperator extitit Bruxellis in Eccleſia S. Gudulæ die 4. Octob. anno 1516. In quibus etiam Comitiis Equitum numerum viginti Capitibus auxit.

Decima nona idem Carolus inſtituit Barcinone in Hiſpania in Principe Urbis templo in Januario anno Domini Gallis 1518. nobis anno 1519.

Viceſima ab eodem habita ſunt Tornaci in templo B. V. M. die 3. Decembris anno 1531.

Viceſima prima idem convocavit Ultrajecti in Hollandia die 1. Januarii 1545. ſecundum Gallos, ſecundum Romanos 1546.

Viceſima ſecunda à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, poſtquam Carolus Parens ei omnia ſua Regna & Status hoc eodem anno ceſſiſſet, celebrata ſunt Antverpiæ in templo B. V. M. die 19. Jan. anni Gallici 1555. noſtri 1556.

Viceſima tertia demum & poſtrema Comitia Ordinis idem hic Philippus II. convocavit Gandavi in Eccleſia Sancti Bavonis die 12. Auguſti anno 1559. Fuítque poſtremus omnium, per hæc Comitia electorum, Equitum Petrus Erneſtus Comes Mansfeldius, Belgii quondam Præfectus, qui obiit anno Chriſti MDCIV. ætatis ſuæ Centeſimo tertio.

Nec plures deinde ejuſmodi Generales Ordinis Conventus celebratos reperio; qui primùm quidem annis ſingulis, deinde tertio quoque anno; mox quinto: demum cùm Supremis Ordinis Principibus nulla ferè eſſet à bellis quies, pro ſuo illi arbitrio tum, cùm à bellorum regnorúmque curis tantiſper vacarent, indicere hos Conventus ſolebant, qui ſemper inſolitâ quadam Majeſtate celebrati ſunt; adeò ut celebris ille Oliverius Marchianus in ſuo ad Philippum Pulchrum Caſtiliæ Regem ſermone hæc Comitia velut præcipuum quoddam Ornamentum ac triumphale quodammodo Domûs Regiæ decus extollat; quorum ſpectandorum cupiditate allecti præcipui quique Principes è terris longè diſſitis confluxêre; nec dedignata eſt Anglia ipſa adeo transmittere maria, quò pompæ huic tam inſolitæ, tam magnificæ intereſſet. Et certè hic tantus támque inſolitus præcipuæ nobilitatis ad aulam Supremorum affluxus ei etiam tum, cùm nonniſi Duces hi erant, horum præſertim Comitiorum tempore formam quandam magnificentiæ plusquam regiæ tribuebat; quando præſertim iis diebus etiam ii, qui Equeſtri huic ſodalitio adſcripti non erant, varia tamen à Supremis Ordinis Principibus commoda conſequebantur, dum hi aliis quidem auratæ militiæ honorem conferrent, alios alia quapiam gratiâ, privilegiô, aut benevolentiæ ſaltem ſuæ ſignificatione ornarent. Sed nunc ad alia tranſeamus.

# CAPUT VIII.

## *De hodierna Equitum creatione cerimoniisque in ea adhiberi ſolitis, ſeu dum ab ipſo Supremo Ordinis Principe adſcribuntur in ordinem, ſeu dum à Principibus exteris, Vicariâ poteſtate à Supremo eis delegatâ, cooptantur.*

### §. I.

### *Sodalitii hujus Equites à ſolis hodie Ordinis Supremis creari.*

POſt ultima, ùt diximus, Equitum Comitia ante ſuum è Belgio in Hiſpanias diſceſſum à Philippo II. Hiſpaniarum Monarcha in Gandavenſi urbe celebrata, cùm ob exortas ſubinde bellorum turbas, & ſecutam Provinciarum defectionem, ac ipſam denique locorum tanto intervallo disjunctorum diſtantiam, neque is, quem dixi, Philippus, neque ii, qui eum in throno deinde ſecuti ſunt, Reges in Belgium unquam revertiſſent; &, in Hiſpanias uſque, tam turbatis temporibus Equites ad Comitia evocare res videretur eſſe maximæ difficultatis & diſcriminis plena; nec item politicæ rationes admitterent, ut per ſuum Vicarium Supremi Equeſtribus hiſce Comitiis (quæ convocari in Belgio potuiſſent) præſiderent. Hinc ut ne florentiſſimus hic & ampliſſimus Ordo in commune totius Chriſtianæ Reipublicæ decus & utilitatem erectus, tantíſque in id uſque tempus impendiis conſervatus ſenſim (maximo illo Comitiorum fulcro deſtitutus) deficere, atque, ùt multis aliis militaribus hujuſmodi Ordinibus factum eſt, concidere demum & interire penitùs poſſet, novam quandam rationem inire cœpit ſapientiſſimus, & ùt cognomento, ita re quoque ipſa Prudens & Catholicus Rex Philippus II. qua tametſi hæc Comitia intermitti neceſſe eſſet, ſuo tamen Ordo in vigore conſiſteret, ac propagari in ſera uſque ſæcula poſſet. Et quoniam Philippus Bonus Dux Burgundiæ, & primus Ordinis inſtitutor immutabilem eſſe 41. Inſtitutionis ſuæ Articulum voluit, quo decreverat, ut quoties ob mortem cujuſpiam Equitis Commilitonis alius in ejus locum deligendus eſſet, id collatis Supremi Equitúmque cæterorum ſuffragiis fieret, & quidem (ùt articulo 44. videre eſt) nonniſi eo & loco & tempore, quo Statuta Ordinis Comitia haberentur. Hinc cùm & obſervari non poſſe hæc Statuta videret, & ſimul adversùs eadem decernere aliquid ſua unius authoritate non vellet. Patris ſui, Caroli nempe Quinti, exemplo, id ſibi jus fieri ab Apoſtolica Romana ſede expetiit, ut novorum ſibi Equitum etiam extra Comitia in Ordinem adlegendorum creandorúmque poteſtas eſſet; nec verò arduum erat id à Romano Pontifice impetrare, qui ultrò in conſervationem tam illuſtris inſtituti intentus anno 1572. ad Philippum II. Regem Catholicum *Pontificium Breve* dedit, quod ſequitur:

„ Gregorius Papa X. Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem & Apoſto-„ licam Benedictionem.

„ Exponi nobis nuper feciſti, quod ad præſens vacant plura loca & offi-„ cia Ordinis ſeu Societatis Velleris Aurei, *Del Tuſon* vulgò nuncupati, & du-„ bitas de locis & officiis hujuſmodi extra Capitulum dicti Ordinis diſponere, „ ſeu providere poſſe.

„ Ad omnem igitur dubitandi materiam tollendam, tuis in hac parte ſup-„ plicationibus inclinati, tibi ut hac vice de locis & officiis hujuſmodi extra di-

„ ctum


AD UTRUMQUE.
PHILIPPVS III eadẽ facilitate Monarchiæ maximæ præfuit
Qua exiguæ familiæ alius.
Cùm enim Paterna omnes pietate foveret,
Nemo omniũ fuit, qui subeſſe Principi tã benigno n cuperet
Qui hostis eſse nemini, niſi unis DEI hostibus poſset.
E quib₉ Sectarios sæpè expugnavit in Belgio,
Saracenos omnes exturbavit è Regno,
Malens novies centena millia subditorũ amittere,
Quàm tot hostes Christi in Sinu ſuo, quãtavis Ærarij utilitate,
Fo- vere.

„ ctum Capitulum, quatenus id aliter facere nequeas, ad tui beneplacitum, di-
„ ſponendi licentiam & Facultatem Apoſtolicâ authoritate tenore præſentium
„ concedimus.

„ Non obſtantibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolicâ,
„ vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis & conſuetudinibus, ſtabilimentis,
„ uſibus & naturis, etiamſi in illis caveatur expreſsè, quòd illa officia extra di-
„ ctum Capitulum conferri non poſſent, & aliter factæ collationes & proviſio-
„ nes nullæ eſſent; privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis in contra-
„ rium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis; quibus omnibus, eorum
„ tenores in præſentibus pro expreſſis habentes (illis aliàs in ſuo robore per-
„ manſuris) hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteríſque
„ contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſca-
„ toris die XV. Octobris, anno milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo,
„ Pontificatûs noſtri anno ſexto.

Poſt hoc Diploma à Gregorio Pontifice impetratum Philippus, nihil jam Equeſtribus Comitiis opus ſibi eſſe perſpiciens, eos, in defunctorum Ordinis Equitum locum, viros delegit, quos ſingularis illi prudentia, pietáſque verè regia, præ cæteris dignos eſſe honore illo ſuggerebat. At Philippus III. qui Philippo II. in throno Hiſpanico ſimul & Supremo Ordinis Aurei Velleris Principatu ſucceſſit, eo Gregorii XIII. Diplomate ſeu Brevi Pontificio nimis arcto & & reſtricto non contentus aliud ſibi à Clemente VIII. per Antonium de Cardona ſuum apud Sedem Pontificiam Oratorem impetravit, quo eadem, quæ Parenti Philippo parcè admodum conceſſa fuerat, Equitum extra Comitia eligendorum & creandorum poteſtas, filio largiùs pleniúſque collata eſt & confirmata his verbis.

„ Clemens Papa VIII. Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem & Apoſto-
„ licam Benedictionem.

„ Cùm aliàs vacantibus pluribus locis & officiis Ordinis *ſive* Societatis Au-
„ rei Velleris, *del Tuſon* vulgò nuncupati, de quibus tu forſan dubitabas, an
„ extra Capitulum dicti Ordinis providere poſſes, felicis recordationis Grego-
„ rius XIII. Prædeceſſor noſter, ſupplicationibus tuis inclinatus, Tibi, ſi extra
„ dictum Capitulum Generale ejuſdem Ordinis de illis aliter diſponere non
„ poſſes, de iis extra illud liberè & licitè providendi licentiam & facultatem
„ conceſſerit, prout in ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris, in forma Brevis decimo
„ quinto Octobris anni milleſimi quingenteſimi, ſeptuageſimi ſecundi, Pontifi-
„ catûs ſui anno ſexto expeditis literis pleniùs continetur: quarum vigore, ſicut
„ nobis exponi feciſti, tu de pluribus ejuſdem Ordinis locis & officiis tunc va-
„ cantibus diſpoſuiſti ſive provid iſti.

„ Cúmque nunc de aliis etiam, quæ poſtea vacârunt, ſimiliter providere
„ cupias, eámque ob rem ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris licentiam ac faculta-
„ tem usque ad numerum locorum dicti Ordinis, nunc vacantium, completum
„ per nos extendi & ampliari, ſive illam Tibi de novo concedi per dilectum
„ filium nobilem virum Antonium de Cardona, Sueſſæ Ducem, tuum apud nos
„ Oratorem, à nobis poſtulaveris. Nos ſupplicationibus tuis hujusmodi incli-
„ nati, literarum prædicti Prædeceſſoris tenorem pro expreſſo habentes, Tibi de
„ omnibus locis atque officiis dicti Ordinis nunc vacantibus, quatenus extra
„ dictum Capitulum de illis aliter diſponere aut providere nequeas, ad tuum
„ beneplacitum usque ad numerum locorum dicti Ordinis completum, extra idem
„ Capitulum Generale diſponendi, & liberè ac licitè providendi licentiam & facul-
„ tatem, Apoſtolicâ Auctoritate, tenore præſentium concedimus & impartimur.

U „ Non

„ Non obſtantibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolicâ,
„ vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ſtabilimentis,
„ uſibus & naturis, etiamſi in illis caveatur expreſsè, quòd illa officia extra di-
„ ctum Capitulum conferri non poſſent, & aliter factæ collationes & proviſio-
„ nes nullæ eſſent, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis in contra-
„ rium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis (quibus omnibus eo-
„ rum tenores in præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore
„ permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus) cæteríſque
„ contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petum ſub annulo Piſcato-
„ ris die XV. Januarii 1596. Pontificatûs noſtri anno quarto.

Atque hac deinde poteſtate cæteri quoque, poſt Philippum hunc, Ordinis Principes uti in hoc usque tempus perrexêre, ut ſibi unis de Summi Pontificis veniâ electiones attribuerent; neque enim melior ulla aut commodior eligendorum Ordinis Equitum ratio occurrebat, quamdiu locus non eſſet indicendis Generalibus Ordinis totius Comitiis.

Neque tamen propterea exiſtimandum eſt, per electionem hujusmodi aut Ordini aliquid detractum, aut imminutam ipſorum Equitum exiſtimationem fuiſſe. Contrà enim ego exiſtimo multum potiùs & dignitatis & commodi univerſo huic inſtituto & Equitibus ſingulis ex iſtiusmodi electione & creatione accedere; quando & Ordinis perennitati præclarè hac ratione proſpectum eſt, & ſingulorum Equitum exiſtimatio tantò ampliùs illuſtratur, quanto luculentius eſt ſingularis meriti argumentum: ab ipſo Supremo Principe (quo nemo certior eſſe meritorum arbiter aut poteſt, aut debet) nemine alio adnitente, tam inſigni virtutum, fidei, rerúmque præclarè geſtarum præmiô decorari.

Sed enim lubet ipſas quoque cerimonias, in hodierna Aurei Velleris Equitum adſcriptione uſurpari ſolitas, hoc loco referre, & primùm quidem eas, quæ adhiberi tum ſolent, cùm hic Ordinis Torques ab ipſo Supremo Ordinis Capite viris Illuſtribus ab eodem in Societatem hanc adlectis confertur. Deinde verò & illas, quæ tum eſſe in uſu ſolent, cùm per alium quempiam Principem, delegatâ à Supremo Ordinis Principe authoritate, eodem Torquis Velleríſque inſigni novus quispiam electus Eques ornatur. Et quoniam utriusque hujusmodi creationis ab Auguſtiſſimis noſtris Leopoldo I. & Carolo VI. in hac ipſa Urbe Cæſarea factæ exempla domi noſtræ habuimus: hinc relationem ea de re tantò fideliorem hìc dabimus, quantò certiora ejus rei documenta nacti ſumus. Itaque à Filio, Carolo nempe VI hodierno Cæſare noſtro Invictiſſimo, ordior; cui honor hic vel ideo præ Patre debetur, quòd ille tanquam legitimus ampliſſimi Ordinis Supremus & Princeps ſuâ eum authoritate contulerit. Dum Leopoldus feliciſſimæ Sanctiſſimæque memoriæ Imperator nonniſi Vicario nomine Supremi munus obivit. Sit igitur.

## §. II.

*Cerimoniarum à Sacratiſſima Cæſarea Regiáque Catholica Majeſtate CAROLO VI. Ordinis Aurei Velleris Supremo Principe, dum anno 1712. 29. Martii Viennæ Auſtriæ quaduordecim novi Aurei Velleris Equites crearentur, obſervatarum Deſcriptio.*

POſtquam die 27. Martii ipſo Reſurrectionis Dominicæ feſto die, ex mandato Auguſtiſſimæ Cæſareæ Regiæque Catholicæ Majeſtatis (tanquam Supremi Capitis in hoc ampliſſimo & celeberrimo *Aurei Velleris* Equitum Ordi-

Ordine) Dominus Joannes ab Iſendik, qui Fecialis ſeu Regis armorum (vulgò *Toiſon d'Or*) munus in hoc Ordine gerit, univerſos tunc in Urbe hac Cæſarea degentes Inclyti hujus Ordinis Equites in Aulam Cæſaream, ut Equeſtri ibidem conventui intereſſent, perhonorificè invitâſſet, iiſque conſtituta quintâ poſt meridiem horâ in aulæ ſenaculo (vulgò *Chambre de Conſeil*) congregati veniſſent, adfuit non multò pòſt Auguſtiſſimus ipſe, ſuóque in ſolio, tecto capite, ſub umbellâ conſedit; Equitibus in duas utrinque alas ita partitis, ut (loco nonnihil à Cæſarea ſede remoto) utrumque ſenaculi latus, in ſedibus decorè conſtratis aſſidentes, contegerent. Tum Sacræ Cæſareæ Regiæque Catholicæ Majeſtatis nomine nobiliſſimæ huic Equitum coronæ, habitâ per Dominum Joannem Theodorum L. B. ab Imbſen Ordinis Secretarium ſimul & Cancellarium eleganti oratione, ſignificatum eſt: eam ob rem convocatos Equites in hunc cœtum fuiſſe, ut in illo Majeſtati ſuæ, tanquam Supremo Ordinis Capiti, debitam ſubjectionem renovato in ejus nomen Sacramento inſtaurarent. Quibus dictis eodem ritu, qui ſub Maximiliano pag. 72. & ſeq. obſervatus eſt, Auguſtiſſimus ipſe Ordini, Equites verò & Miniſtri Supremo ſe Ordinis Capiti obſtrinxêre. Sub hæc rurſus Secretarius monuit: Conſtituiſſe ſuam Cæſaream & Catholicam Majeſtatem ſingulis Equitibus illis, quos haud ita pridem Francofurti ad Mænum in hunc Ordinem ſuum adlegerat, ejusdem Ordinis Regulas & Statuta manu propriâ tradere. Atque hæc à Secretario dicta, cùm ipſe ſubinde Auguſtiſſimus latio ſermone confirmâſſet, atque inſuper, quàm ſingularem apud ſe exiſtimationem hic Ordo, ſinguliſque in eum adlecti Equites, tam ob ſua, quàm ob familiarum ſuarum egregia merita obtinerent, prolixè conteſtatus fuiſſet; accedentibus ſuo Ordine Equitibus ſingulis ſingula ſtatutorum exemplaria tradidit: ut ex iis & Ordinis regulas legéſque condiſcerent; &, quo pacto ſuſceptis per eum Ordinem obligationibus ſatisfacere ipſi poſſent, cognoſcerent; ſimúlque quid in ſubſequam vigeſimam nonam ejusdem menſis diem (in quam creandorum Ordinis Equitum ſolemnitas decreta erat) ab electis in hunc Ampliſſimum Ordinem Equitibus agi oporteret, perſpicerent. Atque his peractis ſoluta ſunt ejus diei comitia, invitatis tamen priùs Equitibus: ut ſtatuto, quem diximus, die ad ſolemnem Equitum inaugurationem in aulico RR. PP. Auguſtinianorum excalceatorum templo adeſſent. Interim dies una ornandæ in hanc ſolemnitatem Eccleſiæ, erigendo Cæſareo ſolio, Equitum ſedilibus idoneè diſponendis, cæteríſque in hanc rem neceſſariis apparandis inſumpta eſt. At verò ubi tertia Paſchæ feria illuxit, in deſtinatum ſinguli locum ſtatutâ nonâ matutini temporis horâ convenêre: atque illi quidem, qui tum primùm Ordinis Torque ſolemni ritu ornandi erant, in interiori prædicti templi ſacrario adventum Cæſaris præſtolabantur. Veterani verò Ordinis Equites in aula primùm Cæſarea ſe ſtitêre, atque inde Auguſtiſſimam Majeſtatem cum Nuncio Pontificio totâque aulâ præfatum templum adeuntem ſunt comitati; præferente ſuæ Majeſtati enſem Excellentiſſimo Domino Hieronymo Capecce Marchione de Rofrano Hiſpaniarum primæ Claſſis Magnate, eodémque antiquiſſimo Cæſareæ, Regiæque Catholicæ Majeſtatis Camerario; cùm Supremus Aulæ Mareſchallus Celſiſſimus Dominus Adamus Franciſcus S. R. I. Princeps de Schwarzenberg (ad quem aliàs honor iſte ſpectabat) ipſe quoque inter recèns adſcribendos in Ordinem Equites numeraretur. Cæterùm ubi hoc cum Comitatu in templo adfuit Cæſar, ibidem ſub umbellâ, in throno, capite nudato, conſedit: conſidentibus unà, in deſignatis à Rege armorum ſedibus, veteranis Equitibus; dum interim ad dextrum ſuæ Majeſtatis latus, nudatum enſem manu præferens ſupradictus Dominus Marchio de Rofrano, ac juxta hunc Dominus Comes Leo ab Uhlefeld Sacræ Cæſareæ & Regiæ Catholicæ



Maje-

Majeſtatis Spiculatorum Præfectus adſtabant. Vix ſuam hi ſtationem occupârant, cùm Secretarius Ordinis accepto ex ipſius Auguſtiſſimi Cæſaris (quem debita cum venerationis ſignificatione adiêrat) ore mandato laudatiſſimum ſuæ Majeſtatis,in magnifico hoc negotio ſuſcipiendo,Conſilium gravi & nervosâ ad præſentes oratione expoſuit, quâ dictâ ſtatim ad majoris aræ latus, Evangelio deſtinatum, acceſſit. Tum Rex armorum jubente id Auguſtiſſimo, antiquiſſimum inter præſentes Ordinis Equitem Franciſcum Joſephum S. R. J. Principem de Lamberg ad ſolium ſuæ Majeſtatis accivit, qui ubi continuò præſentem ad Auguſtiſſimi mandatum ſe ſtitit; à Cæſare juſſus eſt, comitante armorum Rege, primum creandorum Equitum coràm adducere, ut ſic initium ea ſolemnitas ſumeret.

Atque ubi primùm,adducente memorato Principe Lambergio & armorum Rege (qui Auguſtiſſimum Cæſarem quantocyùs de præſentia candidati admonuit) Sereniſſimus Emanuel Sabaudiæ Princeps ante Cæſareæ Regiæque Majeſtatis ſolium in infimo ejus gradu genuflexum ſe ſtitit, latino ſermone ab ipſo Auguſtiſſimo Cæſare ſequentia eſt interrogatus.

Primum: perſtétne in voluntate & propoſitô ampliſſimi hujus Ordinis ſuſcipiendi? tum habeátne ſatìs perſpectas regulas & Conſtitutiones Ordinis? cúmque Sereniſſimus hic Candidatus,debitam Majeſtati ſuæ reverentiam conteſtatus, modeſtiſſimè ad utrumque quæſiti Caput annuiſſet, atque,ſecundum præſcriptam in ceremoniali Ordinis libro methodum,tam pronæ in ſe Auguſtiſſimi, tanquam Ordinis Supremi, ac cæterorum omnium nobiliſſimorum Equitum benevolentiæ meritas gratias ſermone pariter latio retuliſſet; eodem rurſus ſermone repoſuit Cæſar: ſe eum Ordinem Principi cùm propriorum, tum Sereniſſimæ domûs meritorum intuitu non ſolùm libenter collaturum; verùm etiam, ubi recepto ſeſe Ordinis Sacramento obſtrinxerit, ſuiſmet manibus magnum hujus Ordinis Torquem ejusdem humeris circumdaturum.

Interrogatus ſubinde ab eodem Auguſtiſſimo, sítne jam ante hac creatus Eques auratus? cùm nondum eo ſe honore inſignitum eſſe repoſuiſſet, eámque gratiam à ſua Cæſarea & Catholica Majeſtate quàm humaniſſimè expeteret, is ei honos ſequenti modo collatus eſt.

Conſcendit nimirum Princeps Supremum ſolii Cæſarei gradum, ibíque rurſum in genua ſe coram Auguſtiſſimo Imperatore demiſit: hic verò cùm Cæſareum ſibi Caput texiſſet, ſumpto è ſupradicti Marchionis manibus enſe, repetito ter ictu lævum Principis humerum leviter ſtrinxit cum dicto: „ Efficiat te „ DEUS bonum & honorabilem Equitem in nomine Domini noſtri & San- „ cti Andreæ.

Equeſtrem ſic honorem adeptus Sabaudiæ Princeps à Secretario & armorum Rege ad erectam, à latere Evangelii, prope altare majus humilem arulam, aut veriùs dixerim, juramenti menſulam ductus eſt. Ubi cùm jusjurandum Secretarius idémque Cancellarius Ordinis elatâ diſtinctáque voce Principi prælegiſſet, eíque ſubinde hanc eandem jurandi formulam tradidiſſet, idem Princeps conceptis verbis Sacramentum Ordini, manu alterâ Crucifixi ſimulacro, alterâ Evangelio appoſitâ nuncupavit. Erigente ſe in pedes, dum jusjurandum enunciaretur, Auguſtiſſimo Cæſare Equitúmque coronâ, mox tamen iterum ſe in ſedes demittente.

Poſtquam verò jusjurandum ſic dictum eſt, ad Cæſareum rurſus ſolium reverſus Princeps in ſummo rurſum gradu ſe demiſit in genua: ubi cùm pariter antiquiſſimi inter eos, qui aderant, duo Ordinis Equites Franciſcus Princeps Lam-

Lambergius, & Otto Honorius Comes ab Abenſperg & Traun (qui utrinque ad Sabaudi Principis latus acceſſerant) genuflexi adeſſent; Auguſtiſſimus rurſum capite tecto Torquem Aureum à Domino Secretario, eodémque Cancellario Ordinis in holoſerico pulvino, quod multo undique auro fulgebat, allatum Sereniſſimi Candidati collo circumdedit, ſequentia ex rituali Ordinis libro ſubjungens: „ Ipſe te hic Ordo, vir egregie, in Sodalitatem ſuam amicabilem recipit, ejúsque rei ſignum Torquem ego hunc tibi circumdo; ſaxit Deus, ut ge- „ ſtare eum diu poſſis: ídque ut ſimul ad Divinam gloriam, cultum, exaltationémque Eccleſiæ cedat; ſimul etiam cùm ad amplificationem honorémque „ hujus ipſius Ordinis in univerſum, tum ad tuam privatam laudem & promeritam ſamæ celebritatem; in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. „ Cúmque Princeps de more: „ Amen, id mihi concedat DEUS: „ reſpondiſſet, eum Auguſtiſſimus indulto priùs Cæſareæ manûs oſculo, detecto capite, & erecto nonnihil in pedes corpore amplexu amiciſſimè ſtrinxit, cæteris quoque veteranis Equitibus pari amoris ſignificatione novum Ordinis fratrem humaniſſimè proſequentibus.

Atque hæ omnes cerimoniæ obſervatæ ſunt in cæteris quoque Celſiſſimis Excellentiſſimíſque Dominis Equitibus in hunc Ordinem eodem tempore & loco adlectis, quorum hæc, quæ ſequuntur, ſunt nomina.

D. Wenceslaus Norbertus Comes de Kinsky, Sac. Cæſ. Maj. Actualis Intimus Conſiliarius, nec non aulæ Regiæ in regno Bohemiæ Supremus Præfectus.

D. Maximilianus Comes de Turri & Valleſaxina, Sac. Cæſ. Maj. Actual. Int. Conſil. nec non Auguſtiſſimæ Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ Viduæ Supremus Aulæ Præfectus.

D. Gundakarus Thomas Comes & Dominus à Starhenberg, Sac. Cæſ. Maj. Actual. Intimus Conſiliar. & Cameræ Præſes.

D. Carolus Joſephus Comes de Paar, Sac. Cæſ. Maj. Actual. Int. Conſil. & Supremus Veredorum Præfectus.

D. Rudolphus Sigismundus Comes de Sinzendorff, Sac. Cæſ. Maj. Actual. Intimus Conſiliarius & Supremus Aulæ Camerarius.

D. Michaël Joannes Comes ab Althan, Actualis Camerarius Cæſareus.

D. Ferdinandus de Sylva, Comes de Ciſuentes, Actualis Camerarius Cæſareus.

D. Adamus Franciſcus Princeps de Schwarzenberg, Supremus Cæſareæ Aulæ Mareſchallus.

D. Nicolaus Comes Palffy, Sac. Cæſ. Maj. Actualis Intimus Conſiliarius, nec non Auguſtiſſimæ Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ Viduæ Supremus Stabuli Præfectus.

D. Norbertus Comes de Kolowrath, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius Intimus.

D. Vincentius Comes ab Oropeſa, Actualis Camerarius Cæſareus.

D. Willericus Laurentius Comes de Dhaun, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius Intimus, nec non campi Mareſchallus, & in Cæſarea hac Urbe Viennenſi Militiæ Præfectus & Chiliarchus.

D. Joannes Baptiſta Comes de Colloredo, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius Intimus.

Qui omnes poſtquam eo, quem modò memoravimus, ritu ſolemniter in ampliſſimum hunc Ordinem adſcripti fuerunt, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium à Pontifice infulato eſt habitum iisdem ferè ceremoniis, quibus aliàs haberi in Auguſtiſſimi Cæſaris præſentia aſſolet; excepto, quòd, cùm ad *Offertorium*, ùt vulgò appellamus, eundum erat, Rex Armorum & univerſa Equitum Tor-

quatorum corona accedentem ad aram Auguſtiſſimum Cæſarem tanquam Ordinis hujus Supremum in duas ſeries diviſi præceſſerint, indéque rurſus ad ſolium redeuntem deduxerint; ubi poſtquam Majeſtas ſua conſedit, humaniſſimo Auguſtiſſimi Capitis annutu ad ſedes pariter ſuas occupandas iidem Equites ſunt invitati. Cæterùm eam inſuper ceremoniam in ſolemni illo ad oblationem faciendam acceſſu obſervare hìc convenit: quòd ſi quis Cæſarei ſanguinis Princeps interEquites adſit,ejus tum munus ſit ſacrificialesMajeſtatis ſuæ numos in aurea pelvi ponèCæſarem ad altare deferre; at ſi nullus ejusmodiPrinceps ſanguinis præſens ſit; tum is, qui Equeſtris ſenii dignitate Sodales reliquos antecellit, eo munere fungitur.

Cúmque ſubinde inter hæcDivinum officium peractum plenè fuiſſet,Sacram Majeſtatem Cæſaream è templo revertentem ordine pompâque eâdem, quâ antè in templum deduxerant, iidem Equites reduxêre.

Atque ex hac prolixiori nonnihil relatione ſatìs, ùt opinor, perſpicuè quisque aſſequi poterit ceremonias illas, quæ adhiberi in nobiliſſimorum hujus Ordinis Equitum creatione, ac (ùt vulgò dicimus) inveſtitura adhiberi conſuevêre, quoties per ipſum Supremum honor iſte confertur.

## §. III.

### *Ceremoniarum ab Auguſtiſſimo Cæſare Leopoldo I. dum delegatâ ſibi à Supremo Ordinis Principe authoritate ejusdem Ordinis Torquem conferret, adhibitarum relatio.*

CÆterùm cùm ea Torquis impoſitio per alios etiam nonnunquam Principes & Monarchas poteſtate à legitimo Ordinis Supremo iis in certis quibusdam caſibus delegatâ fieri ſoleat,operæ pretium duco ad pleniorem materiæ tam illuſtris cognitionem,ejusmodi quoque creationis exemplum ſubnectere. Atque ut eodem hoc Capite Cæſarem Patrem Cæſari Filio conjungamus; illud ſeligere præ cæteris placuit, quo Auguſtiſſimus piæ memoriæ Imperator Leopoldus I. authoritate vicariâ, ſibi ab Hiſpaniarum Rege Carolo II. delegatâ, anno 1694. die 13. Septembris Excellentiſſimo Domino Comiti de Schaffgotſch Aureum Torquem Ordinis induit feliciſſimo ſanè præſagio, fore, ut quem honorem Auguſtiſſimus Genitor, alieno nomine, heroi ſibi ſubdito contuliſſet, eundem Auguſtiſſimus olim Filius propriâ poſſet authoritate conferre. In hac igitur inauguratione ceremoniæ adhibitæ, quæ ſequuntur, fuêre.

Perlectis palàm in nobiliſſima aliquot veteranorum Aurei Velleris Equitum coronâ patentibus ſuæ Majeſtatis Catholicæ literis, quibus in ſuam Cæſaream Majeſtatem ſupra dictum Excellentiſſimum Dominum Comitem, Ordinis Equitem à ſua Regia Majeſtate electum, Aurei Velleris Torque donandi poteſtas pro eo actu transferebatur; in aliud conclave, ad quod recèns electus in Ordinem Comes ſe interim, dum evocaretur, receperat, antiquiſſimus inter eos, qui aderant, ejusdem Ordinis Eques à Cæſare miſſus eſt, qui ex Candidato quæreret: ſitne ei etiamnum decretum hunc inclytum Velleris Aurei Ordinem ſuſcipere, atque jurejurando ſeſe ad obſervanda ejusdem ſtatuta obſtringere? Cúmque decretum ſibi eſſe, reſpondiſſet Candidatus, reſponſúmque id Majeſtati Cæſareæ relatum à miſſo, quem dixi, Equite eſſet; redire rurſus, Candidatúmque ad ſuæ Majeſtatis ſolium adducere idem Eques eſt juſſus: atque ubi is adfuit, ex ceremoniali Ordinis volumine, quod ei à Secretario apertum exhibebatur, ſermone latio ſequentia legit:

Sacra

## „ Sacra Cæſarea Majeſtas Domine Clementiſſime.

QUandoquidem ex literis Regiæ Majeſtatis Catholicæ, Ordinis Aurei Velle- „ ris Supremi cognovi; me ejus benignitate electum eſſe atque adſci- „ tum in hunc ipſum Ordinem amicámque Sodalitatem; quo quidem facto me „ mirificè honeſtatum eſſe intelligo (præcipuè quòd à Sacra Cæſarea veſtra Ma- „ jeſtate ad eundem recipiar) ſumma cum veneratione accepi id judicium, ac „ eapropter gratias habeo humillimas. Adſum igitur, ac Majeſtati veſtræ Cæ- „ ſareæ me humillimè ſiſto, obſecuturus in iis omnibus rebus, quæ ad hunc Or- „ dinem ſpectabunt, & quæcunque mei officii eſſe cognovero, omnimodè im- „ pleturus. „

Ubi hunc in modum ſuam Supremo, juxta ſtatuta Ordinis, obſequendi promptitudinem coram ſua Majeſtate teſtatus eſt Candidatus, ei in hæc verba Imperator oratione pariter latinâ reſpondit: „ Rex Catholicus, hujus Ordinis „ Supremus ac Frater noſter chariſſimus, quod egregias laudes tuas prædicari „ audiverit, ac omnino confidat, te in iis conſervandis amplificandíſque eo, „ quo cæpiſti, pede conſtanter perſtiturum fore, tam ad Tui ipſius celebritatem „ commendationémque, quàm ad hujus Ordinis dignitatem & honorem adau- „ gendum, cenſuit te eligendum, ut, Deo favente, per omnem vitam frater ſis & „ ſocius hujus Ordinis; ſi priùs equeſtri Ordine inſignitus ac aliàs nullibi in Equi- „ tum Ordinem adſcitus fueris. „

Quibus dictis Sua Majeſtas Cæſarea enſem, quem eatenus evaginatum Supremus Aulæ Mareſchallus tenebat, ejus è manu accepit, eodémque ter levi ictu ſiniſtrum Comitis, ante ſolium Cæſaris genuflexi, humerum percuſſit cum dicto: „ Efficiat te DEUS Equitem bonum & honorabilem in honorem Domini & „ S. Georgii. „ Adjecit ſubinde idem Auguſtiſſimus: „ Reliquum eſt, ut te „ neceſſariis ſacramentis obſtringas.

Tum Comes, qui *Auratus Eques* creatus hoc modo fuerat, ubi debitas ſuæ Majeſtati Cæſareæ pro collato Equeſtris dignitatis honore gratias humili ſacræ manûs oſculô retulit, continuò à Secretario ad paratam juramento faciendo menſulam ductus eſt, ubi genuflexus jurisjurandi puncta in hæc verba prælegentem Secretarium audiit.

„ Imprimìs jurabit veſtra Excellentia, quod, dum vivet, & in hoc inclyto „ Ordine & Sodalitate permanſerit, ejusdem Supremi Celſitudinem, Domina- „ tum, jus & Dignitatem, quantum omnino facere poterit, tutabitur, & con- „ ſervare ſtudebit. „

„ Deinde omni ſtudio curabit, ut hic Ordo dignitatem ſuam & ſplendorem „ retineat, eíque amplificando, quam poterit, operam, ubique conferet, neque „ unquam patietur (quantum avertere poterit) ut ille violetur, convellatúrve, „ aut ullum capiat detrimentum vel imminutionem honoris, publicæque exi- „ ſtimationis.

„ Præterea, ſi (quod Deus avertat) tale quid committere contingeret, ut „ juxta hujus Illuſtris Ordinis Conſtitutiones eodem privaretur, ac eapropter „ Torques repetatur; illum ipſum Torquem remittet, vel ipſi Supremo vel ejus „ Ordinis Theſaurario, intra tres proximos menſes: & nec eundem, neque ul- „ lum alium ſimilem ulteriùs geſtabit; nec etiam idcirco indignabitur Supremo „ vel ulli Confratrum vel Magiſtratuum Ordinis, vel in eos odium concipiet.

„ Deinde ſanctè promittet veſtra Excellentia, quòd omnes Conſtitutio- „ nes & decreta hujus Ordinis, ſinguláque eorum capita viriliter obſervabit, „ & exequetur; quod ipſum etſi in genere ſpondet, & pollicetur Veſtra Ex-

 „ cellen-

„ cellentia, ita tamen vult valere, ac ſi ſpeciatim in ſingula eorum verba pe-
„ culiariter & expreſsè juraviſſet.

His ex Ordinis Ceremoniali libro prælectis Secretarius Comitem his verbis affatus eſt: „ Ea ergo omnia ita jurat & promittit Veſtra Excellentia per fidem ſuam & honorem in manus ſuæ Majeſtatis Cæſareæ? „

At Comes, monente eodem Secretario manum alteram Cruci, alteram Miſſali ſeu Evangelio imponens juramenti formam his verbis pronunciavit: ita juro ac promitto: *Et ſic me adjuvet DEUS & omnes Sancti ejus.* Subjungente Secretario: *Amen.*

Poſthæc rurſus ad Cæſareæ Majeſtatis thronum deductus ſæpe dictus Comes ſe demiſit in genua. At Auguſtiſſimus Torquem (quem Secretarius in holoſerico pulvino eidem obtulerat) aſſiſtente antiquiſſimo Ordinis Sodale, ſimul recèns creati Equitis collo circumdedit, ſimul ex rituali Ordinis libro hanc, quam adnecto, orationem ſubjecit: „ Ipſe te hic Ordo recipit in ſuam amicam
„ Sodalitatem, & in illius ſignum te hoc Torque condecorat, quem vi poteſta-
„ tis, quâ fungor, tibi circumdo. Faxit DEUS, ut illum diu geſtes: ídque ce-
„ dat ad ipſius majorem gloriam, & exaltationem Sacroſanctæ Eccleſiæ: nec
„ non ad amplificandum honorem & dignitatem hujus Ordinis in univerſum;
„ ſimúlque etiam ad tuam propriam laudem & promeritam famæ celebrita-
„ tem in nomine DEI Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. „ Reſpondítque Torquatus Eques: „ Amen, id mihi concedat DEUS. „ Simúlque Cæſareo amplexu honoratus eſt, quo cum demiſſiſſima gratiarum actione accepto, dum ad occupandum ſeſſionis ſuæ locum ſe confert, à ſingulis pariter Inclyti hujus Ordinis Fratribus pari amoris intimi conteſtatione eſt ſalutatus.

Qua creationis ſolemnitate peractâ recèns adlectus Eques de more inſignia ſua in membranâ depicta, adjecto nomine, titulo, ac ætate præfato Secretario tradi curavit; quò hæc ſimul cum exacta inaugurationis hujus relatione in Hiſpanicam aulam ſubmitti poſſent.

Nam ut olim in templis, in quibus Equeſtria Comitia celebrabantur, cujuslibet Equitis ſedili gentilitium ſcutum galeâ, apice, & laciniis ornatum ad perennem memoriam relinqui mos erat, quemadmodum teſtatur *Chiflet. in Brev. Hiſt. c. 8. pag. 22.* idque adhuc Bruxellis, Barcinone, Antverpiæ, Gandavi atque alibi in ejusmodi templis videri ætate ſua potuiſſe ait. Ita poſtquam haberi comitia deſiêre, hæc eadem Procerum in Ordinem adlectorum inſignia eodem planè modo in membrana depicta in Codicem ſingularem, quem *librum Regis* appellant, referri ita ſolent, ùt debitus cuivis Ordo & gradus dignitatis expoſcit.

Id unum tamen ſupra veterem illum morem his Equitum inſignibus ornamenti acceſſit, quòd, cùm antea nonniſi galeam unicam, atque unicum apicem gentilitium adhibere ipſis etiam Ordinis hujus Equitibus liceret, poſtquam tamen Philippus II. cæteris Hiſpaniæ regnis Luſitanicam quoque coronam adjecit, atque ipſe quidem tres Galeas veterum Caſtellæ, Arragoniæ, & Portugaliæ Regum proprias ſuis geſtare in inſignibus cæpit, cæteris quoque exinde Proceribus binas ferre Galeas totidémque apices conceſſum eſt, eâ tamen lege, ut altera alteram obliquè flexa reſpiceret, nulláque recta in medio ſtaret: quod hæc, ùt alibi diximus, Supremæ ſit poteſtatis indicium.

CA-


SPES FUTURI
Magnanimus meritò dici poterat Philippus IV.
Qui utrumque fortunæ vultum eodem vultu excepit,
Et de sua nihil constantia illius mobilitate dejectus
Malebat virtutem Philippi à posteris, quàm fortunam
Laudari.
Sed ab utraque commendari est meritus;
Dum et illam Regio semper animo infractus coluit,
Et hanc ipsa virtutis suæ firmitate, ut ad obsequiu reverteretur,
Effecit.

# CAPUT IX.

## *De Celeberrimi hujus Ordinis Privilegiis & Prærogativis, iisque rebus omnibus, quæ exiſtimationem eidem, dignitatém-que conciliant.*

### §. I.

### *Privilegia & immunitates Ordinis hujus Equitibus conceſſæ.*

EXpoſitis hactenus iis, quæ ad pleniorem Ordinis tam Magnifici, támque Auguſti cognitionem ſpectabant, ea quoque nunc ornamenta ſubjicere æquum eſt, quibus eundem hunc Ordinem Supremi ſacræ juxtà, ac profanæ Reipublicæ Principes condecorârunt; & verò (ut à ſummis Eccleſiæ Antiſtitibus initium ducam) quanta hujus Sodalitii exiſtimatio apud congregatos Synodi Baſileenſis Patres ſub ipſum jam ejus exortum anno videlicet MCCCCXXXII. extiterit, ex eo, quod ſupra fol. 19. retuli, ejusdem ſacræ Synodi præconio ſatìs cuique liquere exiſtimo. Eugenius ſubinde Papa IV. ubi hujus tam nobilis inſtituti regulas & ſtatuta ab ipſo Ordinis Conditore transmiſſa multò ſtudio & voluptate perlegit, non modò inſignem optimi Principis religionem, prudentiámque effuſis laudibus eſt proſecutus, ſed & ratas conſtitutiones has habuit; & ſi quid iis fortè deeſſet, ſupplevit; & Pontificiâ demum authoritate anno Chriſti MCCCCXXXIII. Pontificatûs ſui tertio confirmavit. De quo vide *Jul. Chiffletium in Brev. Hiſtor. cap. 5. pag. 12.* Idem poſtea Leo Papa X. præſtitit, atque anno MDXVI. Pontificatûs verò ſui quarto, ita inſtitutionem nobiliſſimæ hujus Societatis, aliáque illius ſtatuta & ordinationes omniáque in eis contenta Apoſtolicâ authoritate approbavit, confirmavítque (ſicut fol. 21. videre eſt;) ut ſimul ampliſſimis eam privilegiis, gratiíſque donaret, quas ego ipſis, quibus datæ ſunt, verbis huc inſerere volui, ut iis fides tantò certior conſtet: itaque ibidem, ubi in hac eâdem Bullâ fol. 21. deſii, ordior: ſic igitur habet: „ Et inſuper Primati, Confratribus, Cancellario, Theſaurario, „ Secretario, & Heraldo Ordinis hujusmodi nunc & pro tempore exiſtentibus, „ eorúmque, qui nunc, & pro tempore conjugati fuerint, conjugibus & utriusque ſexûs liberis, ut Cancellarius ipſius Ordinis pro tempore exiſtens ad ſa-„ cerdotium ritè promotus, ſeu Presbyter idoneus per ipſum ad hoc deputan-„ dus ipſos, & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis excommunicationis, „ ſuſpenſionis, & interdicti, aliíſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis „ à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel causâ latis, & promulgatis, ac „ votorum quorumcunque, & mandatorum Eccleſiaſticorum transgreſſioni-„ bus, manuum violentarum in quaſvis perſonas non tamen Pontificali, aut „ ſuperiori Dignitate fungentes injectionibus, jejuniorum & pœnitentiarum „ eis injunctarum in toto, vel in parte omiſſionibus, ac perjuriorum, & homi-„ cidii voluntarii mentalis, ſeu caſualis: non tamen Presbytericidii, ſeu Clerici-„ dii; nec non adulterii, inceſtûs, ſacrilegii, & fornicationis reatibus, ac omni-„ bus & ſingulis aliis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quan-„ tumcunque gravibus, & enormibus, etiam dictæ Sedi qualitercunque reſer-„ vatis, exceptis contentis in Bullâ Cœnæ Domini legi conſuetâ, de quibus ore „ confeſſi, & corde contriti fuerint: de reſervatis videlicet ſemel in anno, & in „ mortis articulo; de aliis verò eidem Sedi non reſervatis caſibus quoties opus „ fuerit, abſolvere; ac eis, & eorum cuilibet pro commiſſis debitam abſolutio-

 „ nem

„ nem impendere, & pœnitentiam ſalutarem injungere; nec non vota per eos
„ pro tempore emiſſa (ultramarino viſitationis liminum Beatorum Apoſtolo-
„ rum Petri & Pauli, ac S. Jacobi in Compoſtella, nec non Caſtitatis, & Reli-
„ gionis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare; ac jura-
„ menta quæcumque, ex quorum relaxatione alteri præjudicium non genere-
„ tur, relaxare; nec non ſemel quolibet anno, & in mortis articulo, etiam ſi
„ mors non ſubſequatur, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem
„ & abſolutionem, ita ut hujusmodi plenaria remiſſio in vero mortis articulo
„ eis ſuffragetur, dictâ auctoritate Apoſtolicâ impendere poſſit: Quódque li-
„ ceat eis, & eorum ſingulis habere Altare portatile cum debitis reverentiâ, &
„ honore, ſuper quo in locis ad hoc congruentibus & honeſtis, etiam Eccle-
„ ſiaſtico interdicto, ordinariâ vel Apoſtolicâ auctoritate, ſuppoſitis: dummodò
„ cauſam non dederint hujusmodi interdicto, nec eis ſpecialiter interdictum
„ ſit; ac fecerint, quantùm in eis fuerit, ut in iis, propter quæ interdictum ipſum
„ dictâ auctoritate Apoſtolicâ pro tempore appoſitum fuerit, paritio fiat, & ea
„ executioni debitæ demandentur, ac per eos non ſteterit, quo minùs pareatur:
„ etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, ac etiam circa
„ vel parùm poſt meridiem per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum in
„ ſua, & cujuslibet ipſorum, familiarium, domeſticorum, parentum, conſangui-
„ neorum pro tempore exiſtentium præſentiâ, Miſſas, & alia Divina Officia ce-
„ lebrari facere, & tempore interdicti hujusmodi in Eccleſiis, januis clauſis,
„ Divinis officiis intereſſe, & illa, ut præmittitur, celebrari facere, nec non (ſi
„ eos tempore interdicti hujusmodi decedere contingat) eorum corpora Ec-
„ cleſiaſticæ ſepulturæ ſinè tamen funerali pompa tradi, ipſíque Euchariſtiam,
„ & alia Eccleſiaſtica Sacramenta à quocunque Presbytero idoneo, ubicumque
„ voluerint, ſalvis juribus Parochialium Eccleſiarum, etiam in die Paſchatis re-
„ cipere, ac Sacerdotibus eligendis hujusmodi, ut Miſſas, & alia Divina Officia,
„ ut præfertur, celebrare liberè, & licitè poſſint; Quódque unam vel duas Ec-
„ cleſias, ſeu duo vel tria Altaria unius, vel diverſarum Eccleſiarum in partibus,
„ ubi ſingulos eorum pro tempore reſidere contigerit, per eos, & eorum quem-
„ libet eligendas, ſeu eligenda quadrageſimalibus, & aliis diebus Stationum Ec-
„ cleſiarum Urbis, & extra muros ejus viſitando, omnes & ſingulas Indulgen-
„ tias, & peccatorum remiſſiones, etiam Plenarias conſequantur, quas conſe-
„ querentur, ſi eisdem diebus omnes & ſingulas Stationum hujusmodi, ac
„ ſeptem principales, nec non Sanctæ Mariæ de populo, & Sancti Gregorii in-
„ tra, ac Capellæ Scalæ-Cœli extra muros Urbis, hujusmodi Eccleſias perſo-
„ naliter viſitarent: nec non tam quadrageſimalibus butyro, caſeo, ovis, & la-
„ cte, quàm aliis anni temporibus & diebus prohibitis eisdem butyro, caſeo,
„ ovis, lacte, & aliis lacticiniis, ac tempore neceſſitatis de utriusque Medici
„ conſilio carnibus absque conſcientiæ ſcrupulo uti, & veſci liberè & licitè
„ valeant, Apoſtolicâ auctoritate prædictâ earundem tenore præſentium de ſpe-
„ ciali gratiâ indulgemus, ac ſingulorum prædictorum uxoribus & filiabus, ut
„ cum aliquibus aliis honeſtis mulieribus Monaſteria Monialium Sanctæ Claræ,
„ & aliorum Ordinum quorumcunque, etiam incluſarum ter, aut quater in
„ anno, de licentia tamen eorum, qui dictis Monaſteriis præfuerint, ingredien-
„ di, & cum eisdem Monialibus refectionem ſuſcipiendi, dummodò inibi non
„ pernoctent, auctoritate Apoſtolicâ & tenore ſupradictis licentiam & faculta-
„ tem concedimus: non obſtantibus præmiſſis, ac quibusvis Apoſtolicis, nec
„ non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecia-
„ libus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non Monaſteriorum prædicto-

„ rum

„ rum juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ robora-
„ tis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac quibusvis ſuſpenſionibus, ſeu limitationi-
„ bus, ſimilium remiſſionum & facultatum per Nos, & Sedem prædictam quo-
„ modolibet factis & faciendis, quibus, quoad præmiſſa, illis aliàs in ſuo robore
„ permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteríſ-
„ que contrariis quibuscumque. Volumus autem (nè, quod abſit, propter
„ hujusmodi conceſſionem & remiſſionem Confratres, ac uxores, & liberi, ac
„ alii prædicti reddantur procliviores ad illicita impoſterùm committenda)
„ quod, ſi à ſinceritate fidei, unitate Romanæ Eccleſiæ, ac obedientiâ & devo-
„ tione noſtrâ, vel Succeſſorum noſtrorum Canonicè intrantium hujusmodi
„ deſtiterint; aut ex confidentia ejusdem conceſſionis, vel remiſſionis aliqua
„ commiſerint; conceſſio & remiſſio prædictæ, ac quoad illas præſentes litte-
„ ras, eis nullatenùs ſuffragentur: quódque indulto celebrari faciendi ante diem
„ parcè utantur; quia, cùm in Altaris myſterio immoletur Dominus noſter JE-
„ SUS CHRISTUS DEI Filius, qui candor eſt lucis æternæ, congruit hoc non
„ noctis tenebris fieri, ſed in luce. Cæterùm cùm difficile foret præſentes lit-
„ teras ad ſingula, in quibus de eis fides forſan facienda foret, loca deferre; vo-
„ lumus; & dictâ auctoritate Apoſtolicâ decernimus, quod ipſarum tranſum-
„ ptis, manu Publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, ſeu Perſonæ
„ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio, & extra eadem pror-
„ sùs fides indubia adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præſentibus, ſi forent
„ adhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam no-
„ ſtræ approbationis, confirmationis, adjectionis, ſuppletionis, extenſionis,
„ ampliationis, abſolutionis, relaxationis, indulti, conceſſionis, derogationis,
„ voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis
„ autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac
„ Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum
„ Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quin-
„ genteſimo, ſexto decimo, ſexto idus Decembris, Pontificatûs noſtri Anno
„ quarto. „

Subſignatum *A. Melfit.* & ſub plica: *viſa per Gomiel.* ſuper plicam, *F. Bernardus.* In dorſo erat ſcriptum: *Regiſtrata in Secretaria Apoſtolica. Melfit.* appenſúmque ex duplici cauda flavi & rubri coloris Sigillum plumbeum Leonis PP. decimi, unà cum effigiebus SS. Petri & Pauli.

Et tametſi ex his indultis nonnulla, difficultatibus quibusdam poſt Concilium Tridentinum videantur obnoxia; ea tamen ad ſua usque tempora in Hiſpania vi hujus Bullæ obſervata fuiſſe teſtatur ſæpe citatus Chiffletius *c. 11. pag. 30.*

Nec verò his tantummodo Ordo auctus privilegiis fuit, alia ſubinde addidêre ipſi Supremi Ordinis Principes, ac præ cæteris Carolus Audax, Maximilianus I. Philippus II. qui Equitibus hujus Ordinis Torque inſignitis conceſsêre, ut in quovis apparatu feſtivo próximi poſt Supremum Ordinis Caput (ſolis, ſi adeſſent, conſanguineis & propinquis Supremi, Supremóque Aulæ Cancellario exceptis) procederent. Quin & vectigalium quorumvis perſolvendorum onus Sodalibus juxtà ac Miniſtris remisêre. Centeſimi item nummi, quem pendi à cæteris oportebat, gratiam iis factam invenio. Adhæc Philippus IV. ſuſpenſâ tantisper, quæ de immunitatis modò dictæ privilegio movebatur, controverſiâ, addidit amictuum Ordinis, quoties Conventus Capitulares in Belgio cogerentur, renovationem: jus item illic tegendi capitis diebus, quibus Torques magnus ferebatur; imò & proprio motu eundem illis in regium ſuum cubiculum, & in omnia palatia ſua ingreſſum conceſſit, quo fruuntur Magnates, qui capitis tegendi jus habent in regno Hiſpaniæ.

## §. II.

### *Aliæ quædam hujus Ordinis prærogativæ & decora.*

ATque hactenus quidem de privilegiis Ordinis dictum eſt. Sed enim alia inſuper Sodalitii hujus tam illuſtris ornamenta ſunt, non aliunde adſcita, ſed peculiari quadam ratione domeſtica; inter quæ præcipuum ſanè eſt ipſa Ordinis tam inſignis *Antiquitas*, ut qui tertium propediem expleturus eſt ſæculum; felicitate tantâ, quantâ Equeſtrium Ordinum (qui quidem religioſis votis obſtricti non ſint) nullus hodie gloriari in Eccleſia poteſt: tametſi enim non paulò antiquiores Equites ſuos, quibus à Periſcelide nomen eſt, Anglia habeat; quando tamen is Ordo inter Catholicos Ordines recenſeri dudum jam deſiit, nihil eſt, quô officere vetuſtati noſtri hujus Sodalitii poſſit. Reliqui certè Equeſtres Ordines omnes aut inſtituti ſunt ſeriùs, aut ad pauciſſimos devoluti ſolo ſe, quod etiamnum tuentur, nomine ab interitu vindicant.

Altera prærogativa *Nobilitas* eſt & *Claritas* Ordinis, ſiquidem præter Duces ac Principes ingenti numero in hunc Ordinem adſcriptos, Reges qui Imperatores unà non fuerint, hactenus unum ſupra vicenos inſignia ejusdem Ordinis ſuſcepêre, & quidem Reges Angliæ tres: Eduardus IV. anno 1468. Henricus VII. an. 1559. Carolus IX. eodem anno 1559. Reges Hungariæ & Bohemiæ duo: Ludovicus Rex Hungariæ & Bohemiæ an. 1516. Ferdinandus Erneſtus Archidux Auſtriæ Rex Hungariæ & Romanorum an. 1650. Reges Arragoniæ, Navarræ ac Siciliæ tres, nimirum: Alphonſus V. Rex Arragonum an. 1445. Joannes II. Rex Arragoniæ & Navarræ an. 1461. Ferdinandus Rex Arragoniæ & Siciliæ an. 1473. Rex Neapolis unus: Ferdinandus Arragonius an. 1473. Reges Poloniæ, Sueciæque quinque, nempe: Sigismundus I. an. 1518. Sigismundus III. an. 1601. Ladislaus Sigismundus 1616. Joannes Caſimirus 1649. Michaël Koribut Wiſniowski. an. Reges Luſitaniæ duo: Emmanuel an. 1516. & Joannes III. an. 1531. Rex Daniæ unus: Chriſtiernus II. an. 1518. Rex Scotiæ itidem unus: Jacobus V. an. 1531. Quid quod Imperatores Romanorum à Friderico III. ad hanc usque diem omnes, Duodecim numero, aut Suprema Ordinis Capita, aut certè præcipua ejusdem membra fuêre; ut nihil de primis hujus Ordinis Supremis Burgundiæ Ducibus Philippo Bono & Carolo Audace, quorum ſuppar erat Regibus dignitas; nihil de Hiſpaniæ Regibus dicam. Nihil mirum proinde, ſi Jacobus Meyerus ad annum 1451. & 1461. hunc Ordinem & *Sacrum* appellavit, quia in pietate & religione fundatum, & *Summum*, quia tot coronatis & ſummis Europæ totius Principibus illuſtratum. In quem teſte P. Meneſtrier S.J. *in ſuo libro de arte heraldica Pariſiis edito*, aditus nemini niſi viris Principibus & magnis Dominis patet.

Atque inde tanto ſemper in honore hic Ordo eſt habitus, ut non dubitârit Illuſtriſſimus Author Ignatius de Brizuela Segovienſis Epiſcopus, teſtante Chiffletio dicere: „ Habere quidem ſuos Magnates Hiſpaniam, ſed & Burgundiæ non deeſſe ſuos, Velleris nempe Aurei Equites, ſanguine, & heroicis „ virtutibus maximos. „ Et verò quanto in pretio laudatiſſimo Principi Carolo V. is fuerit, ſatìs verba illa declarant, quibus uſus hic Princeps eſt, dum, in Eremum S. Juſti ſeceſſurus, Philippo filio cum regnis Hiſpaniæ ipſam etiam Supremi in hoc Ordine Capitis dignitatem anno 1556. renunciavit. Ordinis ſiquidem Torquem ſibi detractum, fluentibus ubertim lachrymis filii, humeris adſtante & collachrymante commilitonum coronâ imponens, in hanc ſententiam locutus eſt: „ Accipe fili mi, quem è collo meo detraho, Tibi præci-

„ puum

„ puum Aurei Velleris Torquem, quem Philippus Dux Burgundiæ cognomine „ Bonus, Atavus noſter munimentum fidei Sacræ Romanæ Eccleſiæ eſſe vo- „ luit, & hujuſce inſtitutionis ac legum ejus fac ſemper memineris.

Quàm porrò cordi hoc ſibi Optimi Parentis Mandatum habuerit Philippus filius, illud argumento eſt: quod tametſi is Iſabellam filiam unà cum dotali Belgio Alberto Auſtriæ Archiduci in Matrimonium dederit, hoc tamen Supremi Ordinis decus ſibi poſteríſque Hiſpaniarum Regibus, qui ſimul Duces Burgundiæ eſſent, retinere tanquam peculiare à Patre ſibi commiſſum pignus voluerit. Idem hic Philippus in frequentiſſimis Comitiis Jacobææ militiæ Toleti anno MDLXXXVII. celebratis hoc uno Ordinis *Aurei Velleris* Torque tantopere ſibi à Patre commendato, amictus interfuit. Philippus verò III. cùm, adhuc puer, ornatus hoc Torque fuiſſet, adduci non potuit, ut etiam tum, cùm tenella membra ſopori tradere oportebat, tam charum ſibi deponi pignus pateretur. Ita citatus *Chifflet. c. 5.* addit *Theodor Höping in ſuo tract. de jure inſign. c. 2. §. 2. n. 38.* Imperatorem quoque Rudolphum II. etiam poſt mortem, quo apud ſe loco nobiliſſimus hic Ordo fuiſſet, oſtendere voluiſſe; dum talari tunicâ (Equitum hujus Ordinis more) cadaver indui; & locò purpurei pallii, in ſarcophagum, holoſerico rubro interiùs inductum, condi; ac *Vellus Aureum* ad dextrum latus collocari mandavit. Tanti nimirum optimus Imperator hoc collatum ſibi decus faciebat.

Tertium hujus Ordinis ornamentum eſt ipſa inſtitutionis laudatiſſimæ *Sanctitas*; ſcimus enim ex iis, quæ pluribus hactenus locis attulimus, argumentis: poſt Summi Numinis cultum honorémque Divinæ Matri, Divo Ordinis Tutelari Andreæ, cæteríſque Cœlitibus debitum; præcipuum Illuſtriſſimi hujus Sodalitii ſcopum eſſe Chriſtianæ fidei incrementum, Eccleſiæque Romano Catholicæ defenſionem: pro qua ſanguinem vitámque profundere ad hæc usque tempora pulcherrimum ſibi ſemper Præcipui quique Ordinis hujus Sodales duxêre; dum aut in Hiſpaniâ contra Mauros, aut in Pruſſia & Livonia adversùs Tartaros, aut in Oriente terríſque Orienti conterminis contra Turcas, aut denique in aliis Europæ regnis contra ſectarios egregia ardoris ſui, invictæque virtutis ſpecimina (nullâ ſpe lucri, nullâ præmiorum magnitudine impulſi, ſed ſolo laboranti Eccleſiæ ſuccurrendi, nefarióſque in fide errores à radicibus extirpandi ſtudiô incitati) edidêre. Ad quod ut Ordinis ſui Sodales primos Philippus Author accenderet, anno 1443 ùt ex Olivery Marchiani Commentariis Chiffletius refert, celebre convivium inſtituit Inſulis, cui dum cum hoſpitibus Ordinis Sodalibus aſſidet, ex condicto factum eſt, ut cicur ales è Phaſide (vulgò *Phaſianus*) eleganter ornatus in Cœnaculum inferretur. Quo viſo, Philippus per alitem hunc (qui *Phaſim*, prægrandem Colchicæ regionis fluvium, atque adeò univerſam cum fluvio Colchidem deſignabat) votum Deo concepit ſacræ in eas regiones expeditionis ſuſcipiendæ. Animandíſque in idem propoſitum Equitibus Sociis perſonatum in eodem convivio nobilem induxit, qui habitu Eccleſiam Catholicam luctu ſquallidam referens, convivas in ſui commiſerationem defenſionémque ſequenti oratione hortatus eſt.

*Vous Chevaliers, qui portez la* Toiſon
*N'oubliez pas le tres Divin ſervice,*
*Et vous auſſi nez de bonne maiſon*
*Gentils hommes, voici belle ocboiſon*
*Pour acquerir de los le benefice.*
*Mon ſecours eſt pour jeusnes gens propice,*

Z *Les*

*Les noms croiſtront , & l'ame enrichira,*
*Du ſervice que chacun me fera.*

Quod Carmen latinè ſic reddimus.

*Eja! viri heroo queis fulget pectore Vellus*
*Auro inſigne ; Dei ſubeant ne oblivia mentem:*
*Sed memores ſtirpis, memores virtutis avitæ*
*Arripite hanc, quæ miſſa polis occaſio præſtò eſt,*
*Qua meritis augere decus poſſitis. Adeſte,*
*Et noſtris generoſa cohors ſuccurrite rebus ;*
*Nomina ſic creſcent, ſic mens diteſcet ab ipſis*
*Obſequiis, queis quisque meum defendet honorem.*

Poſt religionis & fidei ſtudium exiſtimationem Ordini ſingularem conciliat alter ille Ordinis hujus Celeberrimi ſcopus: laudatiſſima nempe animos tam eorum, qui Ordini adſcripti ſunt, Equitum, quàm aliorum, qui ad eundem hunc Ordinem adſpirant, nobilium ad conſtantem honeſtatis, integritatis virtutiſque cultum & Amorem incitandi: ſimúlque ab omni dedecore factóque vili aut improbo quàm efficaciſſimè retrahendi cura; dum & palàm meritis laudibus ſuorum Sodalium benefacta extollit; & eos, qui à decoro honeſtatéque fortè paululùm deflexerunt, publicâ correctione ad officium revocat. Ut rectè de hoc Ordine Georgius Caſtellanus in elogio Philippi pronunciaverit : *Le fonda en honneur & en netteté de Chevalerie & en deſtruction de villains cas à ceux, qui en ſeroyent.* Fundatum nimirum eſſe ab hoc Principe Sodalitium iſtud ad honorem & integritatem Equeſtris Ordinis, & ad extirpationem omnium actionum vilium. Ac proinde mirum non eſt, eum in tanto etiamnum flore vigere: utpote quem pulcherrima virtutis ambitio, Aureúmque illud mutuæ concordiæ vinculum ſuo ſemper in vigore conſervat.

Denique & pietas illa digna ſanè eſt, quæ æternæ poſterorum memoriæ commendetur, quam ſeu pro vivis hic Ordo inſtituit, ſeu in defunctos hodiedum exercet. De prima meminit Chiffletius pag. 32. his verbis : „ Cæterùm „ Philippus - - etiam in viros Nobiles duodecim, ſinè macula tamen, & for„ tunâ adverſante uſos, nulláque ſuâ culpâ ad inopiam redactos, ædes reditúſ„ que attribuit, dato Regiſteti diplomate anno MCCCCXXXII. Et hæc ipſa „ pia inſtitutio eſt, cujus in vigeſimo Conſtitutionum Capite mentio occurrit. „ De altera verò idem Author ſic loquitur : „ Excipere ſolet felicem exitum mutua, „ Sodales inter, per univerſum orbem recordatio, monentur quippe omnes (& „ hoc munus ſingulis olim Miniſtris Ordinis commune fuit; poſtea verò quibus„ dam, ùt Scribæ & Feciali, ſeu Velleri Aureo, impoſitum, tandem charitas ipſa „ commune omnium iterum effecit) teneri eos ad ſacrificia quindecim procuran„ da, totidémque ſolidos eleemoſynæ nomine, quæ defuncto ex Ordine cuilibet „ perſolvi debent; ut ſi negligentia fortè adſit huic officio præſtando, præter Sa„ cramenti neglecti pœnam, etiam aliquando gravis futura ſit Fundatoris expro„ bratio; qui non adeò paucas perſolvere ſolitus erat miſſas; imò quoties, *inquit* „ *Filatrius*, domeſticorum aliqui, ſive morbo, ſive alio modo interirent, clàm ju„ bebat celebrari miſſas pro anima Baronis unius quadringentas quingentáſve; „ pro Equite trecentas; pro nobili ducentas; & pro alio quolibet, etiamſi è co„ quina infimus eſſet famulus, centenas. „ Ex quo Authoris hujus teſtimonio colligi poteſt, quantum emolumenti etiam poſt mortem Equites conſequantur, dum ſacrificia ſeptingentis plura poſt ſuum ſinguli obitum ab Equeſtribus hujus Sodalitii fratribus obtinent, quorum proinde & honorata in hoc Ordine vita

eſt,


RELIGIONE PATRUM
Carolo II. imbecillitas corporis ñ nihil vigore animi infregit,
Non ideo tamen omnes regendi artes elisit.
Primũ siquidẽ Regnorũ fulcrũ pietatem dum coluit,
Ejus pariter adminiculo Regnum omne
Illæsum ab Hostibus,
Quoad vixit, Servavit.

eſt, & beata moriendi conditio. Qualem ſanè expertus è multis eſt heros ex hoc Ordine inclytus Joannes Comes Naſſavius Belgici equitatûs Præfectus (idem, qui aram priùs marmoream in Bruxellenſi Societatis JESU templo DEIparæ Virgini erigi ſuo ſumptu curavit) qui vir ùt Principi ſuo fidiſſimus, ita juſtitiæ integerrimè adminiſtratæ laude, fideique & Religionis Catholicæ, quaqua poterat ratione, propagandæ ſtudio inclytus: cùm extremo munitus viatico extremam appetere horam videret, miráque animi tranquillitate ac beatâ ſpe plenus animæ jamjam emigrantis exitum expectaret, univerſam familiam ad ſe advocans, ei ultima ſalutis documenta vir eo etiam in articulo alienæ non minùs quàm ſuæ ſalutis ſtudioſus impertiit; nominatim verò Germanum quendam Sighemienſem clientem ſuum mox in patriam reverſurum allocutus, mandavit; ut cæteris quoque clientibus ſuis, à Religione Catholica deviis, redux teſtaretur: vidiſſe ſe eorum Dominum in Catholicæ Eccleſiæ ſinu morientem, hortantémque audiviſſe: uti eam ipſi quoque agerent vitam, quam felix aliquando eſſet vitæ exitus conſecuturus. Oſtendítque eo zelo vir inclytus Equitem ſe ejus Ordinis emori, cujus teſſera Virtus eſt, ſcopus Religio, præmium DEUS.

# CAPUT X.

## *Quinam hujus inclyti Ordinis Supremi fuerint, & quinam à ſingulis hucusque Ordinis Equites ſint creati?*

### §. I.

### *Primus Ordinis Supremus & Inſtitutor Philippus Bonus.*

PRimus Ordinis hujus Inſtitutor & Supremus, ùt ſæpe antehac dictum eſt, Philippus Dux Burgundiæ fuit, cui celſa animi indoles & propenſa in bonos omnes benignitas, ac inſigne religionis ſtudium, cæteræque virtutes magno Principe dignæ cognomentum *Boni* dedêre. Is Joannis Intrepidi filius, Philippi Audacis nepos, Joannis Valeſii Franciæ Regis Pronepos, Burgundicum nomen primus ad ſummum in Belgio potentiæ faſtigium extulit: dum ditionibus à Patre ſibi hæreditate relictis Provincias Belgii propè omnes adjecit. Ulturus cædem Parentis ſui, *Joannis Intrepidi*, jubente Carolo VII. tum adhuc Delphino, perempti (quamvis non deſint complures, qui Carolum cædis hujuſce conſcium fuiſſe negant) ſociatis cum Anglo armis Galliam Carolo propè omnem ademit, editis ingentibus fortitudinis ſuæ documentis; tum præſertim, cùm oppidum S. Richarii obſidens hoſtibus ad ſolvendam obſidionem properantibus obviam è caſtris prodiit, ac nobili abreptus ferociâ in medium Gallorum agmen cum paucis ſuorum irrupit: ubi directas in ſe unum quatuor hoſtium lanceas ſolo gladio, qui adhuc ſupererat, armatus non ſolùm evaſit incolumis, ſed & tres ex iisdem hoſtibus captivos abduxit in caſtra; nec gregariâ hac prædâ contentus totidem inſignes Belliduces, Confluentium Dynaſtam, Potonem Saintraillium, & Joannem Rolletum in poteſtatem redegit. Comiterque aliquamdiu habitos liberos deinde ſinè lytro dimiſit. Cúmque, ut bellum hoc Gallis exitiale (quod teſte Filatrio *in opere de Velleribus Jacob & Gedeonis* plusquam quadringenta hominum millia abſumpſerat) ſopiretur, omnium ferè Europæ Principum Legati conveniſſent, nihílque æqui obtineri ab Anglis poſſet; converſi ad Philippum Bonum, tum fortè in Sacello ſuo ſacro Miſſæ Officio intentum, Franciæ legati lachrymis precibúsque atrocis injuriæ condonatio-

nationem impetrârunt conditionibus tam Philippo decoris, quàm cæſi animæ ſalutaribus: inter quas erat, ut juxta Monteravum in ponte crux ænea cum inſcriptione cauſæ ſumptu Caroli poneretur; ut ibidem in templo pro anima Intrepidi Miſſa quotidiana, ac juxta oppidum Cartuſianorum Cœnobium, quod ſacerdotes duodecim incolerent, inſtitueretur; ut Comitatus Matiſconenſis, Caſtellania Barrenſis, Quintinopolis, Ambianum, Abbatis Villa, aliáque ad Somonam fluvium oppida Philippo & Succeſſoribus cederent, quoad quadringenta Aureorum millia à Carolo aut ejus hæredibus perſoluta eſſent. His aliísque conditionibus non modò pacem Atrebatenſem cum Carolo Philippus confecit, ſed & armis ei urbem Galliæ Principem ex Anglorum poteſtate ereptam reſtituit; & Carolum Aurelianenſium Ducem annis quinque & viginti inter Anglos captivum perſolutis in lytrum ducentis Aureorum Liliorum millibus in libertatem aſſeruit; & Ludovicum Galliæ Delphinum apud ſe quinquenniô liberaliſſimè habuit; & mortuo ejus patre Carolo, Pariſios cum ingenti exercitu ſplendidiſſimóque Belgarum Procerum comitatu coronandum deduxit. Idem Hollandorum factiones vi armatâ coërcuit: diſſidentes Brabantiæ civitates in concordiam reduxit: Leodienſes ſemel atque iterum infeſtos ſubegit: Gandenſes ſecundò tumultuantes cruento prælio ita perdomuit, ut Senatores lineis amictos, ac bis mille cives atratos, eosdémque nudipedes, extra urbis portam ad genua ſibi accidere, oblatíſque omnibus militaribus ſignis veniam deprecari compulerit. Illi Fridericus III. Romanorum Imperator jus omne, quod in Hollandiam, Zelandiam, Friſiam ac Brabantiam Imperii nomine haberet, ceſſit. Lotharingiæ Ducatum Antonio Comiti Vaudemontio, defuncti Ducis Caroli fratri (ſuperato captóque Renato Siciliæ Rege, qui hunc Ducatum invaſerat) vendicavit. Brunswicenſem Ducem, qui Lucemburgum ſibi aſſerere moliebatur, aliquot præliis fractum ab incæpto deſiſtere coëgit. Tres claſſes in Saracenos immiſit, quarum prima Rhodum, altera Septam Africæ urbem à Turcarum obſidione liberavit, tertia Hungaris adversùs eosdem Turcas præſidio fuit. Ad tollendum Eccleſiæ Schiſma, inter Eugenium IV. & Synodum Baſileenſem exortum, ſuâ authoritate plurimum contulit. Erátque longè ampliora in obſequium Eccleſiæ præſtiturus, ſi & cæteris Europæ Principibus par fidei ardor & Eccleſiæ tuendæ cura extitiſſet. Incredibili ſubditorum commodo perpetuum in Belgio Concilium primus inſtituit, voluítque, ut ſuam, quoquò pergeret, aulam Senatores ſequerentur: ut ſic tantò opportuniùs ſubditorum lites, factâ fortè appellatione, cognoſcerentur; &, ſiquæ majoris eſſent momenti, ſuâ Ducis ipſius ſententiâ definirentur. Denique tantæ erat authoritatis ac nominis, ut in Baſileenſi Synodo, primus illi poſt Reges gradus & locus anno 1433. decretus ſit. Addit Filatrius *in opere ſuperiùs citato* Romani etiam Imperii coronam oblatam Philippo, ſed ſimul ab eodem recuſatam fuiſſe; quod ſatìs ſibi videretur ad gloriam: tam excelſum illud faſtigium promeruiſſe. Præfuit inclyto *Aurei Velleris* Ordini à ſe inſtituto annis ſeptem ſupra triginta, ac novem Generalia Comitia Ordinis celebravit. Obiit Brugis in Flandria 1467. die 15. Junii ætatis ſuæ annô 72. Relictâ filio pretioſâ ſupellectile, ingenti gemmarum vi, aureíſque magni ponderis vaſis quamplurimis, maximâque argenti ſignati copiâ. Cadaver Divionem translatum, in Sacello Ordinis expoſitum, ac in Suburbana Carthuſia, ubi Avo, Patríque Mauſolea ſumptu Regio excitârat, ſepultum eſt. Cor verò Jeroſolymam ultimâ morientis voluntate perlatum eſt; adjectâ, ùt teſtatur Chiffletius, ingenti auri ſummâ, ut vel ſic voto ſuo ſuóque in patientem Chriſtum amori aliquâ ratione ſatisfaceret mortuus, qui, quod maximè optabat, vivus cum exercitu eò transmittere non poterat.

Cæte-

Cæterùm erat Philippus corpore robuſto & ſano; vultu benigno,& pleno humanitatis; colore candido in fuſcum declinante, oculus illi cæruleus & mediocris; naſus aquilinus; capillus priusquam eum penitus abradi voluiſſet, ſinè Cirrhis rectus & coloris caſtanei, par ſupercilium & barba. Dignitatis ſuæ & gravitatis ita retinens, ut hilaria tamen haudquaquam reſpueret; qualia fuêre ea, quorum Pontus Heuterus meminit: repertum nempe à Philippo, cùm poſt meridiem Brugis animi causâ obambularet, in medio foro ruſticum ebrietate & alto ſomno ſopitum, quem tolli inde & pretioſo in aula lecto reponi juſſerit. Qui diſcuſſo ſomno à cubiculario ſericâ indutus veſte die uno pro Duce, ſcenico obſequio, cultus eſt; at ubi ſub veſperam, alteram ſibi crapulam & ſomnum bibit, eodem (quo pridie repertus fuerat) loco cænóque repoſitus cùm die ſubſequo rurſum evigilâſſet, nihil certius crediđiſſe, quàm objectam ſibi per ſomnium humanæ vitæ felicitatem fuiſſe. Nec verò magnopere aberravit à vero ſomniator hic vigilans, quando nulli rei aptiùs quàm ſcenæ ac ſomno comparari quantacunque hæc mortalis vitæ felicitas poteſt.

De hoc Principe plura docebit Epitaphium, quod ipſum ſibi Philippum ſcripſiſſe referunt; id Burgundico verſu compoſitum in libro Joannis Bapt. Maurice *le Blaſon des Armoiries pag.* 2. videre eſt. Jacobus Meyerus ſic in Latium tranſtulit:

*Philippus ex Joanne Rege natus eſt,*
*Genuitque Joannem patrem charum mihi,*
*Burgundiam cum Flandria atque Arteſio,*
*Qui mihi reliquit lege juréque optimo.*
*Brabantios, Lemburgios, Namurcios,*
*Hannonios, Hollandios, Zelandios,*
*Et Lucemburgum finibus vinxi meis:*
*Bellum movebat Flander atque Anglus mihi,*
*Quos jure & armis fortiter rejecimus;*
*Movit Renatus bella Lotharingicus,*
*Qui, Rex licèt, captivus eſt factus meus;*
*Unâ die denunciant bellum mihi*
*Galli, Britanni & Cæſar, at nil promovent:*
*Cum Rege Carolo longa bella geſſimus,*
*Pacem petivit, ſceptráque illi reddidi.*
*Septem cruentis dimicavi prœliis,*
*In omnibus Victor, Deo ſit gloria.*
*Flandros rebelles & Leodios feros*
*Vici, & coëgi petere pacis commoda.*
*Baſilæa quem Papam removit ſanctio,*
*Pio favore dignitati reddidi.*
*Quinos per annos educatum duximus*
*Ad ſceptra Regni Rege natum Principem;*
*Ad me refugit pulſus Eboracius,*
*Operáque noſtrâ factus eſt Rex Angliæ.*
*Defenſioni Eccleſiæ delegimus*
*Inſigne VELLUS AUREUM noſtro Ordine.*
*Studio juvandi Chriſtiani nominis*
*Noſtras triremes miſimus Papæ Pio.*
*Ductu meo bellum paravi Barbaris,*
*Sed obſtitit mors, quæ potens regnat nimis.*

*Bis luſtra ſeptem & conſulem unum viximus,*
*Sed ſeptimo poſt mille centum quoque quater,*
*Et luſtra bis ſex ordinem fati ſequor.*
*Et hic recludor cum Patre atque Avo meo,*
*Sicut placebat, antequam decederem.*
*Direxit acta jugiter Chriſtus mea.*
*Precare cœli regna, Lector, nunc mihi.*

## *Ab hoc ſequentes Equites in Ordinem à ſe inſtitutum recepti ſunt.*

Guilielmus de Vienna Dominus S. Georgii.
Reinerus Pot Dominus de la Prugne.
Joannes Dominus de Roubaix.
Rollandus de Wtkercke Dominus de Hemsrode.
Antonius de Vergy Comes de Dampmartini, Dominus à Champlite.
David de Brimeu Dominus de Ligny.
Hugo de Lannoy Dominus de Santes.
Joannes de Clitte Dominus de Commines.
Antonius de Toulonjon Dominus de Traves.
Petrus de Luxemburg Comes S. Pauli.
Joannes de la Tremoville Dominus de Jonvelle.
Guilbertus de Lannoy Dominus de Willerval.
Joannes de Luxemburg Comes de Ligney.
Joannes de Villers Dominus de l' Isle-Adam.
Antonius Dominus de Croy & de Renty.
Florimundus de Brimeu Dominus de Maſſincourt.
Robertus Dominus de Masmines.
Jacobus de Brimeu Dominus de Grigny.
Balduinus de Lannoy Dominus de Molembais.
Petrus de Beffroimont Comes de Charny.
Philippus Dominus de Ternant.
Joannes de Croy Dominus de Tour ſur Maren.
Joannes Dominus de Crequy.
Joannes de Neufchâtel Dominus de Montaigu.
Fridericus dictus *Valeran* Comes de Meurs.
Simon de Lalain Dominus de Hantes.
Andreas de Toulonjon.
Joannes de Melun Dominus d' Antoing & Eſpinoy.
Jacobus Dominus de Crevecœur.
Joannes de Vergy Dominus de Fonvens & Vignory.
Guido de Pontaillie Dominus de Tallemé.
Balduinus de Noyelles Dominus de Caſteau.
Joannes Nothus de Luxembourg Dominus de Haubourdin.
Carolus à Burgundia Comes de Charolois II. Supr.
Carolus à Burgundia Comes de Charolois.
Rupertus Comes à Vernenbourg.
Theobaldus Dominus de Neufchâtel.
Carolus Dux Aurelianenſis & de Valois.
Joannes Dux Britanniæ Comes de Montfort.
Joannes Dux d' Alençon Comes de Perche.
Matthæus de Foix Comes de Cominges.
Alphonsus V. Rex Arragoniæ.
Franciſcus de Borſele Comes d' Oſtrevant.
Reginaldus Dominus de Brederode & de Viane.
Henricus de Borſele Dominus de la Vere, Comes de Grandpré.
Joannes Dominus d' Auxi.
Adrianus Dominus d' Humieres.
Joannes Dux Cliviæ Comes de la Marck.
Joannes de Guevara Comes de Ariano.
Petrus de Cardonna Comes de Goliſano.
Joannes Dominus de Lannoy.
Jacobus de Lalain Dominus de Bugnicourt.
Joannes de Neufchâtel Dominus de Montaigu.
Joannes à Burgundia Dux Nivernenſis.
Antonius Nothus Burgundiæ Comes de la Roche en Ardene.
Adolphus de Clivia Dominus de Ravenſtein.
Joannes à Luſitania Dux Conimbricæ Princeps Antiochiæ.
Joannes II. Rex Arragoniæ.
Adolphus Junior Dux Geldriæ & Zutphaniæ.
Theobaldus Dominus de Neufchâtel.
Philippus Pot Dominus de la Roche-Nolay.
Ludovicus de Bruges Dominus de la Grutuſe.
Guido Dominus de Roye.
*Cancellarius* Joannes Germanus Epiſc. Cabillonenſis electus 1430.
*Huic ſucceſſit* Guilielmus Filatrius Epiſc. Virdunenſ. elect. 1460.
*Theſaurarius* Guido de Guilbert. Conſil. & Præf. Ærarii Philippi Boni elect. 1430.
*Cui ſucceſſit* Petrus de Bladelin aliàs Leeſtmakere pariter præf. Ærarii elect. 1451.
*Secretarius* Joannes Hibert Audientiarius Philippi Boni electus 1430.
*Rex Armorum* Joannes Faber, Dominus S. Remigii electus 1430.
*Huic ſucceſſit* Georgius Caſtellanus Eques, Poëta & Hiſtoricus Celebris elect. 1463.

§. II.

## §. II.

### *Secundus Ordinis hujus Supremus Carolus Audax.*

CArolus, quem *Bellatorem* alii, alii *Audacem*, nonnulli *Juſtum* dixêre, filius unicus Philippi Boni & Eliſabethæ ſeu Iſabellæ Luſitanæ, natus eſt 4. Idus Novemb. 1433. eodémque tempore, quo ſacro fuit Baptiſmi fonte ablutus, Aurei ſimul Velleris Torque à Patre donatus eſt, & Caroleſii Comes appellatus. Is ubi primos pueritiæ annos literarum artísque muſicæ cognitioni dediſſet, adoleſcentiam ſubinde domandis equis, armorúmque tractationi impendit. Prima militiæ rudimenta ſub Patre annos nondum viginti natus poſuit: mox aliis atque aliis expeditionibus admotus generoſâ in hoſtes ferociâ, qua nulli non diſcrimini ſe ultrò ardentis animi impetu objectabat, *Audacis* ac *Bellatoris* ſibi nomen obtinuit. Patre adhuc vivo celebrem ad *Mobendricum* pagum de Francis victoriam retulit; *Dionantum* inſigne in Leodienſi diſtrictu oppidum pertinaci ſeditione Principi ſuo infeſtum, ac nimiâ opum fiduciâ ferox funditus excidit. At verò ubi Patre defuncto Supremam ipſe poteſtatem adeptus eſt, ſeditioſos diverſarum urbium cives quà vi oſtensâ,quà illatâ compeſcuit. Regem Galliæ Ludovicum XI. pacem à ſe,perſolutis centum & viginti Aureorum Liliorum millibus,redimere coëgit. Adhæc Eduardum IV. Socerum ſuum,quem idem Ludovicus Rex Galliæ inſtructâ claſſe Angliæ throno dejecerat, ſuis potiſſimùm opibus armíſque reſtituit. Ducatum Geldriæ, Zutphaniæque Comitatum ab Arnoldo Geldriæ Duce, qui filium Adolphum, à quo ſexenniô totô in duriſſimo carcere captivus tenebatur, omni hæreditatis jure privârat, emptum ditionibus ſuis adjecit. Jámque & *Burgundiæ Regis* & *Legati Imperii* titulos conſecuturus à Friderico III. Cæſare fuerat; niſi æmulorum artes ab eo conſilio Imperatoris animum avertiſſent. Erat porrò hic Princeps quàm Sago ſtrenuus, tam juſtitiæ amans, adeò, ut quoties ab armis vacaret, ter in hebdomades ſingulas in ſupremo cauſarum tribunali præſideret, pro infimis maximè, ut jus ſuum obtinerent, ſolicitus: qua ille agendi ratione populorum in ſe animos ac reverentiam mirificè excitabat. Nec omittendum hìc rigidæ æquitatis exemplum, quod & *Lipſius c. 8. Exemplorum politic.* & alii plures *ab Audace* poſteris relictum meminêre.

Dederat *Audax* viro nobili cujusdam in Zelandia oppidi Præfecturam; is nullo adhuc conjugio illigatus impurum concipit amorem in alterius conjugem, quam dum blanditiis nequit vincere, terrorem intentat; maritúmque falsò proditionis inſimulatum in vincula conjicit. Mulier in eas conjecta anguſtias, ac ſanioris Conſilii inops diu, quò ſe verteret, neſciebat: poſtremò non jam proci illecta blanditiis, ſed ſolo mariti è vinculis eliberandi deſideriô anxia, in flagitium annuit. At homo nefarius ut mulierem ſuis perpetuò haberet cupiditatibus obſequentem, maritum quantumvis innoxium in carcere enecat. Quid agat infelix hìc mulier? conſilio & comitatu amicorum fulta Principem adit, & crudele facinus Præfecti exponit. Ille in vicinum conclave mulierem ſecedere tantiſper, Præfectúmque, qui accuſationis hujus ignarus in aula fortè inter miniſtros etiam ipſe tum aderat, adeſſe jubet. Ubi adfuit, accerſitur & mulier; ac Princeps ubi hominem, an hanc nôſſet? rogavit: illéque colore vultûs mutato ſe nôſſe repoſuit: quærit rurſum Carolus, an querelas quoque fœminæ nôſſet? hic dum vacillans neſcio quid perplexè pro ſe loqui cæpiſſet, remotis tandem arbitris ſpe gratiæ obtinendæ fatetur flagitium: veniámque precatus, conjugium mulieri offert; at illa primùm parricidam averſata, vix tandem Principi id imperanti obſequitur: qui ſolemnibus verbis ſe præſente matrimonium celebrari jubebat.

bebat. Tum Princeps ad Præfectum converſus: at tu, inquit, nove marite, jam & illud paciſcere; ut ſi prior ſinè hærede decedas, hæc bonorum tuorum omnium ex aſſe ſit hæres. Annuit iſte, teſtes aſſiſtunt, tabelarius ſcribit. Sub hæc cùm etiam ex muliere quæſiviſſet, ſatin' illi per hæc nuptialia pacta ſit factum? atque illa factum ſibi ſatìs repoſuiſſet, tum Princeps: at mihi nondum, ſubjecit; præfectúmque in illum ipſum carcerem duci, ibíque multari capite imperat, ubi innoxium mulieris maritum priùs ipſe peremerat.

Et verò tum hac inſigni rigidiſſimæ juſtitiæ laude, tum provinciarum amplitudine & magnitudine opum, tum armorum potentiâ, reíque militaris palmarúmque, ubicunque cum hoſte confligeret, enaſcentium famâ celeberrimus, ad ipſum propè humanæ felicitatis apicem eluctatus eſſe videbatur. At enim ubi ambitiosâ nimis limitum ab Oceano Hollandico ad Italiæ usque alpes proferendorum cupidine Helvetiis, qui miſſis ad eum legatis pacem orabant, bellum movet; atque iræ, quam ob amiſſos in obſidione Granſæ (id oppidum in Helvetiorum finibus ſitum eſt) centum quinquaginta viros fortes conceperat, impotentiâ abreptus fidem (contrà quam aliàs ſolebat) ſe dedentibus oppidanis non ſervat, atrociúsque in dedititios ſævit: eo facto & Germanorum omnium animos atque ipſam adeò à ſe fortunam avertit; aliis enim atque aliis cladibus exinde affici cæpit, & denique ad Nancejum Campobachii, ſui in exercitu legati, perfidiâ & proditione à ſuis deſertus poſt acre bellum cæſus interiit die 4. Januarii anno 1477. annos natus quadraginta quatuor, cùm præfuiſſet ampliſſimo Aurei Velleris Ordini annis novem cum dimidio. Sepultúsque eſt Nanceji juſſu hoſtis Reineri Lotharingiæ Ducis in principe Urbis templo, erectáque ab eodem eſt tumba, adjecta *Audacis* imagine cum gentilitiis inſignibus eóque, quod ſequitur, Epitaphio:

*Te pacis piguit, te tæduit, atque quietis*
*Carole, ſicque jaces? jámque quieſce tibi.*

A Carolo in hunc Ordinem recepti fuêre ſequentes.

Eduardus IV. Rex Angliæ.
Ludovicus de Chalon Dominus de Château-Guyon.
Joannes de Damas Dominus de Cleſſy.
Jacobus Borbonius Comes Marchiæ.
Jacobus Luxemburgicus Dominus de Richebourg.
Philippus à Sabaudia Comes de Baugey.
Philippus de Crevecœur Dominus de Eſquerdes.
Claudius de Montaigu Dominus de Couches.
Ferdinandus Rex Siciliæ, Princeps Caſtellæ.
Ferdinandus Rex Neapolis.
Joannes de Rubempré Dominus de Bievre.
Philippus de Croy Comes de Chimay.
Joannes Luxemburgicus Comes de Marle & Roucy.
Guido de Brimeu Comes de Meghem.
Engelbertus Comes Naſſoviæ.
*Cancellarius* Fridericus de Clugniaco, Epiſc. Tornacenſis & deinde S. R. E. Cardin. elect. 1475.
*Theſaurarius* Guilielmus de Clugniaco, Factus deinde Epiſc. Pictav. & Magnus Franciæ Cancellarius elect. 1472.
*Secretarius* Martinus de Steenberghe. Decan. Eccl. S. Gudilæ elect. 1468.
*Cui ſucceſſit* Carolus Soillot Decan. Midelburgenſis an. 1468.
*Rex Armorum* Ægydius Gobet. Fecialium Magiſter Titularis Prov. Friſiæ elect. circa an. 1474.

## §. III.

### *Tertius Ordinis Supremus Maximilianus I. Imperator.*

Tertium Ordinis Caput Maximilianus Friderici III. Cæſaris filius fuit: is cùm in prima pueritia impeditioris linguæ usque adeò fuiſſet, ut omnem penitus loquelæ uſum amiſſurus crederetur; creſcentibus tamen annis adeò vitium

tium ſenſim omne defluxit, ut non expeditè modò loqui omnia poſſet, ſed & inſigniter facundus evaderet, ſeu latio deinde, ſeu Italo, ſeu Teutonico, ſeu Gallico eſſet ſermone utendum. Annum nondum tertium ſupra decimum egreſſus, dum feram in rupibus Oenipontanis inſequitur, eò juvenili ſylveſtris prædæ cupiditate abreptus eſt; unde pedem referre non licuit: rupe undique accisâ, & hiante infra ſexcentorum minimùm pedum crepidine. Ibi ſpe aliâ omni ſalutis depoſitâ ad Auſtriacorum Principum aſylum confugit; &, quantâ potuit, voce ſacerdotem inclamat, qui Euchariſticum ſibi Numen ſpectandum ſaltem & adorandum proponeret. Vix latentem ſub myſtico pane DEUM Sacerdos attulit, vix ſpem ſuam Cæſareus juvenis adoravit: cùm montani paſtoris ſub habitu dux viæ ſe Principi offert, monſtratóque latenti calle ſimul Principem ab exitio liberat, ſimul videri eodem momento temporis, non expectato tam fidelis obſequii præmio, deſiit. Satìs vel hoc ipſo teſtatus cœleſtem Genium ſub agreſti illa paſtoris forma latuiſſe. Adolevit ſub eâ Numinis curâ egregia hæc, DEO chari, Principis indoles; cúmque belli pacíſque artibus præclarè imbutus populis jam regendis par eſſet; cæſo, ùt diximus, ad Nancejum Carolo Audace, Filiam ejus unicam omnium paternarum ditionum hæredem ſibi eodem anno 1477. die 18. Auguſti matrimonio ſociavit; ac ſubinde datâ acceptáque à provinciis fide, ſolitis cerimoniis pro Principe agnitus, mox indictis anno 1478. Brugis Aurei Velleris Equitum Comitiis, ſimul ipſum hunc Ordinem, Ordiníſque Principatum ſuſcepit, ſimul quibuſdam ex Ordine excluſis, alíiſque in eundem receptis traditam ſibi Supremi Capitis poteſtatem exercuit. Tum in Ludovicum XI. Galliæ Regem converſus Hannoniam propè omnem, poſt Audacis Caroli mortem, ab eo armis occupatam recuperat; Cúmque, induciis in annum factis, Ludovicus moras traheret; collecto Maximilianus exercitu contra Gallos, annos nondum viginti natus tam feliciter dimicat, ut inſignem de hoſte victoriam, celebri illâ Blagenſi Clade hoſtibus illatâ, retulerit. Inde ſeditioſos in Hollandia Hauckios domat. Geldriam, quæ poſt mortem Audacis à Maria defecerat, recipit. Geldróſque ad præſtandum ſibi conjugíque fidei Sacramentum compellit. Idem in Zutphania factum eſt; jámque adnitente Friderico Parente, electus Romanorum Rex Maximilianus hic fuerat, ibántque proſperrimè omnia, cùm inſperatum Mariæ Conjugis funus aliam ſubitò rebus faciem induit. Nam dum Flandri tutelam Philippi pueri (quem ex hoc ſuo conjugio Maria ſuſceperat, & ad quem poſt mortem Matris devolvebantur Provinciæ Belgii) ad ſe ſpectare contenderent: Contra verò Maximilianus tutelam filii ſibi aſſerere, & patris jure & armatâ manu niteretur; ſubitò Belgium omne à ſe defeciſſe tum comperit, cùm à Brugenſibus in cuſtodiam datus fidiſſimos quoſque Miniſtros ſuo vidit in conſpectu necari. Duravítque totis novem menſibus ea Regis captivitas; quoad evoluto eo temporis ſpatio Brugenſes ſeu iras armati Patris, Ducíſque Saxoniæ veriti, ſeu captivi Principis promiſſis emolliti, eum tandem in libertatem reſtituerunt: cui redditus, adeò ſibi ſuóque animo imperavit, ut leviſſimâ ultione contentus apud ipſum Patrem Fridericum, ut ne quid gravius in Brugenſium perfidiam moliretur, patronus extiterit; eáque lenitate ac clementiâ & provincias rurſus ad obedientiam permovit, & ampliorem inſuper fortunæ ſibi favorem promeruit: quando non multò pòſt Auſtriam omnem Ungarorum è poteſtate eripuit, ac cum victricibus aquilis in ipſam Ungariam penetrans id poſtremò ab Uladislao obtinuit: ut, ſi ſinè hærede maſculo Rex Uladislaus decederet, jus ſucceſſionis Maximilianus, ejúſque ſucceſſores haberent. Atque ut ne mancus videretur fortunæ hic favor, Imperatoriæ quoque Majeſtatis decus, poſt Friderici Parentis mor-

mortem addidit, iterúmque poſt obitum Sigismundi Archiducis, cum Tyroli totius exterioris Auſtriæ Dominatum Maximiliano adjecit; qui in communem reipublicæ ſalutem intentus ſeditionem agreſtium, quæ prope Spiram in Canonicos primùm & Epiſcopos exorta, re ipsâ omne dominationis jugum ſuis à cervicibus amoliri meditabatur, in ipſo ortu eliſit. Alberto Bavaro poſt mortem fratris Georgii, quidquid contrà armis niteretur Robertus Palatini filius, Bavariæ Ducatum aſſeruit. Venetis Vicentiam, Paduam & Veronam ademit, atque ita demum partes laudatiſſimi Principis omnes explevit, ut & eo, ad quod eum virtus & fortuna evexerat, orbis faſtigio digniſſimum ſua virtus præſtiterit; & Auſtriacæ potentiæ ſin minus authorem, amplificatorem certè, etiamnum Auguſta veneretur poſteritas. Hic ut ſupremo etiam in ſolio mortalem ſe eſſe meminiſſet, urnam funebrem toto poſtremo vitæ triennio, quoquo pergeret, deferri ſecum jubebat. Atque, quid reliquo per vitam tempore foviſſet in animo, non obſcurè in poſtremo vitæ emorientis articulo prodidit, dum in hæc verba circumſtantes affatus eſt: „ Renunciate (ajebat) Carolo & Ferdi„ nando nepotibus meis, ut majorum inſiſtentes veſtigiis Catholicam Religio„ nem à Germanis hactenus conſtanter cultam adversùs novorum dogmatum „ auctores ſectatorésque cum vitæ etiam ſuæ periculo tueantur. „ De quo plura qui volet, Joannem Cuſpinianum adeat, qui fuſiùs hujus Principis vitam virtutésque perſequitur. Obiit die 12. Januarii anno 1519. cùm vixiſſet annos ſexaginta tres, ampliſſimóque Aurei Velleris Collegio annis tredecim præfuiſſet. Ab eo in hunc Ordinem ſequentes recepti ſunt:

Guilielmus Dominus ab Egmond.
Wolfardus de Borſele Comes de Grandpré.
Jodocus de Lalain Dominus de Montigny.
Jacobus Luxemburgicus Dominus de Fiennes.
Philippus à Burgundia Dominus Bevriæ.
Petrus Luxemburgicus Dominus Fani S. Pauli.
Jacobus à Sabaudia Comes de Romont.
Bartholomæus Dominus de Liechtenſtein.
Claudius de Toulonjon Dominus de la Baſtie.
Joannes Dominus de Ligne.
Joannes de Hennin Dominus de Boſſu.
Balduinus de Lannoy Dominus de Molembais.
Guilielmus de la Baume Dominus d' Irlans.
Joannes de Berges Dominus de Walhem.
Martinus Dominus de Polheim.
PHILIPPUS AUSTRIACUS COMES DE CHAROLOIS SUPR. ORD. IV.
*Cancellarius* Joannes de Lannoy Abbas ad S. Bertinum elect. 1480
*Theſaurarius* Joannes de Groz Conſiliarius Archid. Maximil. elect. 1478.
*Huic ſucceſſit* Nicolaus Gondeval Rei familiaris in Aula Maximil. Præfectus elect. 1484.
*Hunc ſecutus eſt.* Ludovicus Quarre Dominus de la Haye Conſil. & Magiſter rationum in Brab. elect. 1486.

## §. IV.

### *Quartus Ordinis Supremus Philippus Pulcher Rex Hiſpaniæ.*

HUnc Principem iis natura dotibus formavit, ut animos & affectus omnium ad ſe attraheret, ac eapropter paſſim *amor. & deliciæ humani generis* appellaretur: erat ſiquidem inſigni corporis formâ, colore vivido, fronte erectâ & lætâ, ſtaturâ virili, quæ dotes humanitati, facilitati, moderationi, animíque magnitudini conjunctæ digniſſimum illum regiis, quibus eum fortuna deſtinaverat, ſceptris reddidêre. Natus is erat Kalendis Julii, anno, quem hoc rude metrum numerale ab illius temporis poëta factum indicat.

oMnIbVs aCCeptVs regnat noVVs eCCe PhILIppVs.

Trimulus puſio à Maximiliano Patre Buſco-Ducis Eques creatus & Aurei Velleris Torque donatus eſt; decimóque poſt anno Supremam Ordinis hujus Præfecturam adiit, ac tria generalia Ordinis Comitia inſigni pompâ celebravit. Trienniô pòſt, anno nempe 1494. cùm annum ætatis ſuæ ſextum ſupra decimum agerer,

ageret, regimen Belgicarum Provinciarum ſuſcepit. Inde conjugio cum Joanna Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis & Iſabellæ Reginæ Caſtiliæ & Legionis, filia poſt biennium inito legitimus eorum regnorum hæres cum uxore ſuâ Joanna declaratus & acclamatus eſt. Armis ſubinde in Carolum Egmontium Adolphi filium, qui Geldriam (cujus jure Adolphus ob ſuam in Arnoldum patrem impietatem exciderat) ſibi contra Avi Arnoldi venditionem Carolo Audaci factam ac teſtamento approbatam, Cæſaríſque Sigismundi diplomate confirmatam, vi aſſerere meditabatur, converſis, hoſteque ad pacem petendam adacto, in Hiſpaniam ad Regnum Caſtellæ & Legionis capeſſendum migravit. Jámque etiam Romanorum Rex à Maximiliano Patre renunciandus Philippus hic fuerat, Principibus Imperii paſſim omnibus lectiſſimam ejus indolem & virtutes ſummo faſtigio pares ſuſpicientibus. Verùm magnifica hæc conſilia præpropera mors eluſit; dum enim paucis poſt ſuum in Caſtellæ Regnum adventum diebus minoris pilæ ludo in ſphæriſterio ſummis cœli caloribus, pomeridiano tempore corpus exercet, ſitíque accenſus frigidam ſibi infundit avidiùs, concepto exinde malo, ac mox acriùs ingraveſcente robuſtiſſimus Princeps paucos intra dies ſummo omnium dolore conficitur; piiſſimè uti vixerat, mortuus 25. Sept. anno 1506. ab ætatis ſuæ 28. relictis duobus paternarum virtutum regnorúmque hæredibus filiis Carolo V. & Ferdinando I. qui quod Patri mors præmatura negaverat, Supremum ambo Imperii Romani faſtigium virtutibus meritíſque maximis ſunt conſecuti. Nec multò minor fuit quatuor filiarum felicitas: dum Eleonora Luſitaniæ primùm Regi Emanueli, ac ſecundis deinde nuptiis Franciſco I. Regi Galliæ juncta eſt. Iſabella cum Chriſtierno II. Rege Daniæ conjugium iniit. Maria Ludovico Hungariæ & Bohemiæ Regi in Matrimonium eſt collocata. Ac demum Catharina poſthuma Joanni III. Regi Luſitaniæ & Algarbiæ nupſit. Raro ſanè favore Superûm, brevem vitæ uſuram Patri, hac tantâ ſex liberorum felicitate, compenſantium.

Fridericus III. Imperator, Rex Hungariæ, Archidux Austriæ.
Henricus VII. Rex Angliæ.
Albertus Dux Saxoniæ.
Henricus de Withem Dominus de Berſele.
Petrus de Lannoy Dominus de Fresnoy.
Everardus Dux Wirtembergicus.
Claudius de Neufchâtel Dominus de Fay.
Joannes Comes ab Egmond, Dominus de Baer.
Chriſtophorus Marchio Badenſis.
Joannes Dominus de Cruninghe.
Carolus de Croy Princeps de Chimay.
Guilielmus de Croy Dominus de Chievres.
Hugo de Melun Vice-Comes Gandavenſis.
Jacobus Luxemburgicus Dominus de Fiennes.
Wolfgangus Dominus de Polheim.
Eitelfridus Comes de Zollern.
Cornelius de Berges Dominus de Zevenberge.
Philippus Nothus Burgundiæ Dominus de Sommerdy
Michaël de Croy Dominus de Sempy.
Joannes Luxemburgicus Dominus de Ville.
Carolus Archidux Austriæ, Dux Luxemburgi poſtea Imper.

Henricus VIII. Rex Angliæ.
Paulus Dominus de Liechtenſtein.
Carolus Dominus de Lalain.
Wolffgangus Comes à Fürſtenberg.
Joannes Emanuel Dominus de Belmonte.
Florimundus ab Egmond Comes de Bueren.
Jacobus Comes de Hornes.
Henricus Comes Naſſoviæ.
Fridericus de Croy Dominus de Rœux.
Philibertus Dominus de Vere.
*Cancellarius* Henricus de Berges Supremus Conſiliarius Philippi I. elect. 1492.
*Cui ſucceſſit.* Philibertus Naturelli Præpoſitus Eccleſ. Cathedr. Ultrajecti. elect. 1504.
*Secretarius.* Chriſtophorus Martins à Secretis Maximil. Archid. elect 1493. eóque adhuc anno mortuus.
*Succeſſit.* Ludovicus Brun Conſil. & Magiſter libellorum ſuppl. annus electionis non conſtat.
*Poſt hunc ſecutus eſt* Laurentius de Blioul à Secretis & admiſſionibus regiis elect. 1496.
*Rex Armorum.* Thomas Iſaacq; Fecialium Magiſter titulo Hannoniæ elect. 1493.

## §. V.

### *Quintus Ordinis Supremus Carolus V. Imperator.*

NAtus eſt hic Phænix Principum anno Jubilæo 1500. 25. Febr. Gandavi in Flandria, Patre, quem paulò ante laudabam, Philippo Pulchro Hiſpaniarum Rege, Maximiliani Cæſaris filio; Matre Joanna Arragoniâ, Ferdinandi & Eliſabethæ Hiſpaniæ Regum filiâ. Altero à nativitate anno, ejus ſæculi primo in Equeſtribus Comitiis Bruxellenſibus Velleris Aurei Torque ornatus à Patre eſt. Inde teneriori infantiâ ſub Maria Cæſaris Maximiliani filiâ exactâ Principis inſtitutionem à Guilielmo Croyo Duce de Soria, Aurei Velleris Equite & maximarum virtutum heroe hauſit; ingenii virtutiſque culturam ab Adriano Florentio, qui Summus deinde Pontifex eſt creatus, accepit. Mox trium, neque amplius, luſtrorum adoleſcens, dum excellentia & maturitas indolis annorum teneritudinem ſuperat, hæreditariis Belgii Provinciis Hiſpaniæque regnis gubernandis admotus eſt; quorum amplitudo & occidentalis Indiæ per Chriſtophorum Columbum ſubactæ, & Mexicani regni (in America tum primùm per Americum Veſputium detectâ) à Ferdinando Corteſio ad coronam Hiſpaniæ victricibus armis adjuncti, egregiéque communiti acceſſione in immenſam Monarchiam excreverat, accedente præſertim Neapoli, utrâque Siciliâ, & poſt Avi Maximiliani Cæſaris mortem hæreditariis Auſtriacorum Principum ditionibus. Principatu vix inito generalia Aurei Velleris Equitum indixit Comitia Bruxellis, quæ & inſolitâ ibidem magnificentiâ anno 1516. celebravit adlectis in hunc Ordinem aliquot Regibus & Equitum numero vicenis tum primùm capitibus aucto. Inde in Hiſpanias ſequenti anno profectus, cùm ſumma regnorum, Procerum, populorúmque conſenſione Rex agnitus & acceptus fuiſſet, non multò pòſt vixdum expleto decimo octavo ætatis anno, Cæſareum quoque ſolium ſuffragiis Imperii Electorum evocatus conſcendit. Ut autem tantis eum favoribus dignum fortuna oſtenderet, variis eum bellis exercuit, quibus tamen omnibus ſuperior ita fuit, ut quotquot in eum arma ſumpſerunt hoſtes, totidem aut captivos cenſeret aut victos. Americani certè Reges Reguliſque octodecim, præliis totidem fracti: Mexicanus & Peruanus Imperator in vincula conjecti: Fridericus Dux Saxoniæ, & Franciſcus I. Rex Galliæ bello capti: Philippus Landgravius Haſſiæ in Ordinem redactus: Ariadenus Ænobarbus (ſeu Barbaroſſa) Algerii Rex occupato per vim Tuneti regno pulſus: Solymanus ab obſidione Viennæ primùm, nec multò pòſt, ſolo adventantis cum exercitu Cæſaris metu ab obſidionis repetendæ conſilio (poſtquam ad ſingulare eum certamen evocanti Cæſari, non Carolum, ſed fortunam Caroli ſe metuere reſpondiſſet) eſt deterritus. Quadraginta illuſtrioribus, triginta & ampliùs levioribus præliis victor, Inſubriam ſemel ſibi, bis Duci Sfortiæ ſubdidit: Hetruriæ Alexandrum Medicæum, factionibus Florentinorum compoſitis, Ducem dedit. Genuenſes in libertatem aſſeruit: Geldriam ſub jugum miſit. Gandavenſium tumultus ſedavit. Peloponeſum maritimis urbibus, Methone & Coronâ, ſibi ſubditis expugnavit. Hæreticis plura vulnera quà edictis, quà armis inflixit; Luthero in Wormatienſi conventu proſcripto, Anabaptiſtis Weſtphaliâ ejectis, inſigníque victoriâ de hæreticis in Saxonico bello obtentâ; ubi vulgatum illud Julii Cæſaris triverbium ita religioſiſſimus victor uſurpavit, ut diceret: *Venit* Carolus, *vidit* Carolus, *vicit* DEUS. Denique poſt expeditiones profectióneſque novem in Germaniam, ſex in Hiſpaniam, ſeptem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam ſuſceptas, poſt

poſt Monarchiam, quantam ante illum Germanorum Cæſarum nemo tenuerat, feliciſſimè ſapientiſſiméque adminiſtratam rem, mundo novam, cœlo jucundam, ſibi ſupra omnes, quas retulit victorias, plauſibilem & glorioſam ſuſcepit; dum anno 1555. omni ſe dominatu abdicans Philippo filio Belgium omne, univerſámque Monarchiam Hiſpanicam cum adnexis eidem Statibus tradidit, anno verò 1556. Imperii Romani ſceptrum, cæteróſque omnes Auſtriaci in Germania patrimonii titulos Ferdinando fratri, Primo hujus nominis Imperatori transmiſit. Ipſe reliquum, quod ſupererat, vitæ in Hieronymiano Divi Juſti Cœnobio, in Luſitaniæ Caſtellæque finibus prope civitatem Placentiam ſito, inter continua heroicarum virtutum exempla, religioſiſſimus ſuimet victor exegit. Ubi piiſſimè obiit anno 1558. die 21. Septembris, poſtquam annis quadraginta Aurei Velleris Ordini præfuiſſet Supremus, Comitiaque Ordinis quatuor celebrâſſet. Huic Epitaphium ſequens Joanna filia Luſitaniæ Regina poſuit:

# D. OPT. MAX. S.

„ D. CAROLO V. Imp. Cæſ. Aug. Max. Indico. Turc. Afric. Germ. Hiſpaniæ, „ Siliciæ, & Indiarum Regi. P. P. Principi Potentiſſ. & Invictiſſ. Sacri Imperii Li- „ beratori. Fundatori Quietis. Chriſtianæ Relig. Acerrimo Propugnatori. Juſti- „ tiâ, animi Magnitudine, Prudentiâ, Religione, clementiâ, patientiâ, aliiſque „ inſignibus virtutibus longè ornatiſſ. Qui poſt ingentes partas ubique terra- „ rum victorias, & clariſſimas de Gallo, Turca, Afris, Italis, Germanis actos tri- „ umphos, tam multis Indiæ Provinciis, & Inſulis etiam Priſcis incognitis, per le- „ gatos magno Reip. Chriſtianæ ornamento inventis, atque luſtratis. Denique „ poſt feliciter adminiſtratam, & prudenter conſtitutam Remp. Philippo filio, „ tot ampliſſ. Hiſpan. Regnis, Flandriæ, & aliis Provinciis inaugurato. Religione „ ductus, ex Flandria in Hiſpaniam trajecit, ſéque in Juſtum Hieronymiani Or- „ dinis Cœnobium, Ædibus illic juſſu ejus conſtructis, recepit: ubi reliquum vi- „ tæ, quod vix biennium fuit, tranquilliſſimè egit, & ſanctiſſimè obiit XI. Cal. „ Octob. MDLVIII. Joanna Luſitaniæ Princeps, Hiſpaniarum Gubernatrix, „ Patri Opt. & Max. P. Vixit ann. LVIII. Menſ. VI. Di. XXVII. Imperavit „ ann. XL. Regnavit an. XLIII.

Ab hoc Cæſare in Ordinem hunc adſcripti fuère:

Franciscus I. Rex Galliæ.
Ferdinandus I. Imperator.
Fridericus Comes Palatinus.
Joannes Marchio Brandenburgicus.
Guido de la Baume Comes de Montrevel.
Hubertus Comes à Mansfelt.
Laurentius de Gorrevod Comes de Pont-de-Vaux.
Philippus de Croy Dux de Arſchot.
Jacobus de Gavre Dominus de Freſin.
Antonius de Croy Dominus de Thou, & Sempy.
Antonius de Lalain Dominus de Montigny.
Carolus de Lannoy Dominus de Senzelle.
Adolphus à Burgundia Dominus de Bevres.
Philibertus Chalon Princeps d' Orange.
Felix Comes de Werdenbergh.
Emmanuel I. Rex Lusitaniæ.
Ludovicus Rex Hungariæ et Bohemiæ.
Michaël Dominus de Wolkenſtein.
Maximilianus de Hornes Dominus de Gaesbecke.
Guilielmus Dominus de Ribaupierre.
Joannes Baro de Trazegnies.
Joannes Dominus de Waſſenare.
Maximilianus de Berghes, Dominus de Zevenberghe.
Franciſcus de Melün Comes d' Eſpinoy.
Joannes Comes ab Egmond Dominus de Baer.
Fridericus de Toledo Dux Albæ.
Didacus Lopez Pacheco Dux d' Eſcalone.
Didacus Hurtado de Mendoça Dux d' Infantadgo.
Ignatius de Velaſco Dux de Frias.
Alvarus de Zuniga Dux de Bejar.
Antonius Manriquez de Lara Dux de Najara.
Ferdinandus à Remontfolck Dux Cardonæ.
Petrus Antonius Sanſeverinus Dux Sancti Marci.

 Fride-

Fridericus Henriquez de Cabrera Comes de Melgar.
Alvarus Perez Oſorio Marchio de Aſtorga.
CHRISTIERNUS II. REX DANIÆ.
SIGISMUNDUS I. REX POLONIÆ.
Jacobus de Luxemburg Comes de Gaure.
Adrianus de Croy Comes de Reux.
JOANNES III. REX LUSITANIÆ.
JACOBUS V. REX SCOTIÆ.
Ferdinandus de Aragonia Dux Calabriæ.
Petrus Hernandez de Velaſco Dux de Frias.
Philippus Dux Bavariæ.
Georgius Dux Saxoniæ.
Bertrandus de la Guëva Dux d' Albuquerque.
Andreas Doria Princeps Amalphitanus.
PHILIPPUS AUSTRIACUS HISP. INFANS SUPR. VI.
Reinaldus Dominus de Brederode.
Ferdinandus Gonzaga Dux de Ariano.
Nicolaus Comes de Salm.
Claudius de la Baume Dominus de Montſaint Sorlin.
Antonius Marchio de Berghes.
Joannes de Hennin Comes de Boſſu.
Carolus Comes de Lalain.
Ludovicus de Flandria Dominus de Praet.
Georgius Schenck Dominus de Tautembou rg.
Philippus de Lannoy Dominus de Santes & Roulaicourt.
Philippus de Lannoy Dominus de Molembais.
Alphonſus de Avalos - Marchio del Guaſto.
Franciſcus de Zuniga Comes de Miranda.
Maximilianus ab Egmond Comes de Buren.
Renatus de Chalon Princeps d' Orange.
MAXIMILIANUS II. IMPERATOR REX BOHEMIÆ ET HUNGARIÆ ARCHIDUX AUSTRIÆ.
Ignatius Lopez de Mendoça Dux d' Infantadgo.
Ferdinandus Alvarez de Toledo Dux Albæ.
Coſmus de Medicis Dux Florentiæ.
Albertus Dux Bavariæ.
Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ Princeps Pedemontanus.
Octavius Farneſius Dux Parmenſis.
Henricus de Lara Dux de Najara.
Fridericus Comes de Fürſtenberg.
Philippus de Lannoy Princeps de Sulmone.
Joachimus Dominus de Rye.
Pontus de Lalain Dominus de Bugnicourt.
Lamoraldus Comes ab Egmond Princeps Gauriæ.
Claudius de Vergy Baro de Champlitte.
Jacobus Comes de Ligne & de Fauquemberghe.
Philippus de Lalain Comes ab Hoohſtrate.
Maximilianus à Burgundia Marchio de la Vere.
Petrus Erneſtus Comes de Mansfeld.
Joannes de Ligne Comes ab Aremberg.
Petrus Dominus de Werchin.
Joannes de Lannoy Dominus de Molembais.
Petrus Fernandez à Cordova Comes de Feria.

*Cancellarius.* Joannes Scotus Prior Monaſterii dicti de *Bois-Seigneur-Iſaac*, elect. 1530.

*Huic ſucceſſit.* Philippus Nigri Præpoſitus ad S. Pharaildem Gandavi, dein nominatus Epiſc. Antverp. elect. 1531.

*Theſaurarius.* Philippus Hanneton Dominus de Linth, primus à Secretis & ab admiſſionibus Philippo I. elect. 1522.

*Succeſſit.* Philippus Numan, Philippo I. ab admiſſionibus. Annum electionis non reperi.

*Hunc ſecutus eſt.* Joannes Micault Dominus de Oiſterſtein Conſil. & Quæſtor Ærarii Caroli V. de anno electionis non conſtat.

*Poſt eum munus id geſſit.* Henricus Sterck Conſil. & Quæſt. Ærarii Caroli V. elect. 1541.

*Poſt hujus mortem verò.* Gerardus de Veltwyck Dominus de Bouckhaut Conſil. Statûs. elect. 1549.

*Huic proximus fuit.* Petrus Boiſot, Dominus de Roun & Tourneppe Conſil. & Quæſt. Ærarii. elect. 1555.

*Secretarius.* Nicolaus Nicolai Secretarius ſtatûs. elect. 1540.

*Rex Armorum.* Franciſcus de Burgundia dictus *le Batard de Phalais.* elect. 1540.

*Huic Succeſſor fuit.* Antonius Dominus de Beaulaicourt Locumtenens adminiſtrationis Inſulis. elect. 1549.

## §. VI.

## *Philippus II. Rex Hiſpaniarum, ſextus Ordinis Supremus.*

PRima Philippi an. 1527. Valliſoleti in lucem editi gloria extitit: Patre Carolo fuiſſe progenitum; neque ultima felicitas Caroli, talem filium progenuiſſe, qui grandem à naturâ animum, & vaſtum, magnarúmque rerum capax ingenium nactus, ſub tanti Patris diſciplina non potuit non in Principem numeris omnibus abſolutum adoleſcere; qualem ſanè ſe abundè poſt traditas à Patre tam ampli Dominatûs (cui præter Europæ partem magnam, Orientales & Occidentales Indias complexo ſol nunquam occubuit) habenas oſtendit; dum, tametſi exercitus ipſe nullos (quemadmodum Pater Carolus faciebat) in hoſtes duce-

duceret, ſed ſecretiùs ferè in conclavium abditus tot ampliſſimorum regnorum negotia pertractaret; non minùs tamen Philippi ſcribentis calamus timebatur ab hoſtibus, quàm pugnantis Caroli enſis. Primas illi inter curas pax erat, quam ille ſibi perquam honorificam atque utilem geminis victoriis (alterâ ad S. Quintinum, alterâ prope Gravelingam relatâ) ab Henrico II. Galliarum Rege obtinuit. Ea verò ut ſtabilis eſſet, triplici ejusdem Henrici filiarum connubiali vinculo eſt firmata, è quibus *Iſabella*, cui exinde cognomentum *de Pace* adhæſit Philippo ipſi obvenit; Claudia Carolo Lotharingiæ Duci; Margaritta Emanueli Philiberto Duci Sabaudiæ nupſit. Poſthæc arma in Mauros regno Granatæ infeſtos convertit; iíſque Joannis Auſtriaci, fratris ſui, ductu feliciter debellatis, eundem Joannem Auſtriacum ſummum belli Imperatorem ſociali Chriſtianorum Claſſi dedit: qui an. 1571. commiſſo ad Echinadas inſulas prælio victoriam poſt Othomanici nominis memoriam longè maximam de communi Chriſtianitatis hoſte reportavit. Indéque converſis ab Oriente in Africam armis Tunetum, Lybici maris Regiam, Turcis fugientibus cæpit; Biſertam expugnavit, captivúmque Amidam Regem cum duobus liberis ſecum trahens glorioſus victor revertit. Quæ porrò bella in Belgio geſſerit; quas triginta duorum annorum ſpatio præcipuorum belli Imperatorum Ducis Albani, Requeſenii, Joannis Auſtriaci, Alexandri Farneſii ductu iis clades intulerit; quot victoriis repreſſerit; quantis denique impenſis ſumptibus quantíſque ſtudiis avitam fidem Catholicam in hæreditariis iis Provinciis conſervare, omnéſque novatorum conatus elidere ſit conatus, non unius eſt folii, ſed magnorum voluminum opus. Nec verò hæc in Religionis præſidium in ditionibus ſuis præſtitiſſe contentus, Gebhardum inſuper Truchſeſium Imperii Romani Septemvirum, ex Colonienſi Archiepiſcopo ſacrilegum Apoſtatam ſuis potiſſimum armis, omnibus Imperii ditionibus cedere compulit. Rem Catholicam adversùs Calvini aſſeclas (Hugonotos) in Gallia multis per Alexandrum Farneſium relatis victoriis egregiè ſuſtinuit, regnúmque illud longè florentiſſimum ab extremo, quod hæreſis ei minabatur, exitio revocavit. Melitam Inſulam à Mahometanis obſeſſam, repulſis barbaris, liberavit. Monarchiam Hiſpanicam Luſitaniæ inſuper & Algarbiæ regno auctiorem reddidit. Philippinas inſulas detexit, è quibus plures quàm ducentas ad Hiſpanicam Monarchiam adjecit. Denique plenus grandibus factis & immortalibus meritis ad immortale in cœlis regnum migravit anno 1598. ætatis ſuæ 72. Hic Princeps bina eáque poſtrema Ordinis Comitia celebravit in Belgio, poſt quæ in Hiſpanias translatus Equites Ordinis, poteſtate ab Apoſtolicâ ſede obtentâ, ſuo unius ſuffragio in hanc cæpit Sodalitatem adſcribere. Hujus Principis incomparabiles & verè regias virtutes qui volet, *virtutem coronatam* Joannis Euſebii Nierembergii pag. 335. & ſequentibus adeat, ibíque & quod miretur & quod imitetur, laudibúſque in cœlum tollat, reperiet. Ab hoc in Ordinem adlecti ſequentes ſunt:

Henricus Junior Dux Brunſwicenſis & Lünenburgicus.
Ferdinandus Archidux Auſtriæ.
Philippus de Croy Dux d'Arſchot, Princeps de Chimay.
Gonſalvus Fernandez de Cordova Dux Seſæ & terræ novæ.
Carolus Auſtriacus Hiſpaniarum Infans.
Ludovicus Henriquez de Cabrera Dux Medinæ de Rio Secco.
Alphonſus ab Aragonia Dux de Cardona.
Carolus Baro de Berlaymont.
Philippus de Stauele Baro de Chaumont.
Carolus de Brimeu Comes de Meghen.
Philippus de Montmorency Comes de Hornes.
Joannes Marchio de Berges Comes de Walhain.
Guilielmus de Naſſau Princeps Arauſicanus.
Joannes de Montmorency Dominus de Courieres.
Joannes Comes Friſiæ Orientalis.
Uladislaus Baro de Bernſtein.

 Fran-

Franciſcus Fernandez d'Avalos Marchio Piſcariæ & de Guaſto.
Antonius Doria Marchio Sancti Stephani.
Sforzias Sforza Comes de Sancta Flora.
FRANCISCUS II. REX GALLIÆ.
Guidobaldus de Montefeltrio Dux Urbini.
Marcus Antonius Colonna Dux de Tagliacozzo.
Philippus de Montmorency Dominus de Achicourt.
Balduinus de Lannoy Dominus de Turcoing.
Guilielmus de Croy Marchio de Renty.
Florimundus de Montmorency Dominus de Montigny.
Philippus Comes de Ligne.
Carolus de Lannoy Princeps de Sulmone.
Antonius de Lalain Comes ab Hoochſtrate.
Marcus Antonius Colonna Dux Palliani.
Joachimus Baro de Neuhaus.
CAROLUS IX. REX GALLIÆ.
Joannes Auſtriacus Gubernator Belgii.
Henricus Dux Brunſwicenſis & Lüneburgicus.
RUDOLPHUS II. IMPERATOR, ARCHIDUX AUSTRIÆ.
Joannes Dux de Braganee Comes ſtabilis Luſitaniæ.
Alphonſus Peres de Guzman Dux Medinæ-Sydoniæ.
PHILIPPUS INFANS HISPANIARUM SUPR. ORD. VII.
Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ.
Ludovicus Henriquez de Cabrera Dux Medinæ & Rio ſecco.
Ludovicus de la Cerda Dux Medinæ-cœli.
Carolus Archidux Auſtriæ.
Erneſtus Archidux Auſtriæ.
Guilielmus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ.
Franciſcus Coſmus à Medicis Dux Hetruriæ.
Alexander Farneſius Dux Parmenſis.
Franciſcus Maria Feltrio, de la Rouere Dux Urbini.
Veſpaſianus Gonzaga-Colonna Dux Sabionettæ.
Carolus ab Aragonia Dux Terræ novæ.
Didacus Fernandez de Cordova Dux Cardonæ.
Honorius Cajetanus Dux Sermonettæ.
Vincentius Gonzaga Dux Mantuæ.
Ignatius Lopez de Mendoça Dux ab Infantadgo.
Joannes Fernandez Pacheco Dux Eſcalonæ.
MATHIAS I. IMPERATOR REX HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ ARCHIDUX AUSTRIÆ.
FERDINANDUS II. IMPERATOR REX HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ ARCHIDUX AUSTRIÆ.
Sigiſmundus Batorius Princeps Tranſylvaniæ.
Petrus à Medicis Dux Hetruriæ.
Guilielmus Urſinus de Roſemberg Burggravius Bohemiæ.
Leonardus Baro ab Harrach.
Horatius de Lannoy Princeps de Sulmone.
Marcus de Rye Marchio de Varambon.
Maximilianus Comes à Friſia Orientali.
Carolus de Ligne Comes ab Aremberg.
Florimundus Comes de Barlaymont.
Philippus Comes ab Egmond Princeps Gavriæ.
Emmanuel de Lalain Marchio de Renty.
Robertus de Melun Princeps d'Eſpinoy.
Alphonſus Felix d'Avalos-Aquino-Aragonia Marchio Piſcariæ & de Guaſto.
Franciſcus de Vergy Comes de Champlitte.
Franciſcus de Santapau Princeps Buteræ.
Joannes Baro de Kevenhüller.

*Cancellarius.* Vigilius ab Ayta Cathedr. Eccl. S. Joan. Gandavi Præpoſitus & Supremi Status ac Sanctioris Conſil. Præſes. elect. 1562.
*Quem excepit*: Joannes Fonck Præpoſit. & Archidiac. in Eccl. B.M.V. Ultrajecti. el. 1581.
*Cui ſucceſſit*: Joannes Carolus Schetz de Grobendonck Proton. Apoſtol. Canon. Leod. & Conſil. Eccleſiaſticus Regis. elect. 1588.
*Theſaurarius.* Carolus de Tiſnac Conſil. Statûs & Sanctioris Concilii. elect. 1562.
*Hunc ſecutus eſt.* Chriſtophorus d'Aſſonville Baro de Bouckhout. elect. 1581. Qui vir cùm extremum decumbens rogaretur ab Alberto & Iſabella Belgii Principibus, numquid beneficii ab iis expeteret? id unum, repoſuit: ut Juſtitiam & Miſericordiam exerceatis in ſubditos. His ſiquidem fulcris ſtabiliri aiebat regnorum potentiam.
*Secretarius.* Joſephus de Cortewille Secretarius ſtatûs. elect. 1561.
*Huic ſucceſſit.* Franciſcus le Vaſſeur Dominus de Morienſart & Serroux. elect. 1581.
*Rex Armorum.* Nicolaus Nothus de Hammes. elect. 1561.
*Ejus Succeſſor fuit.* Claudius Marion Magiſter Fecialium titulo Burgundiæ elect. 1581.
*Illum ſecutus eſt.* Franciſcus Damant Conſil. & Cuſtos Gemmarius aulæ Bruxellis. el. 1587.

## §. VII.

### *Philippus III. Rex Hiſp. Septimus Supremus Ordinis.*

MAgnus hic Hiſpaniarum Monarcha, qui & nomine Patrem & virtutibus referebat, in ſpem tot ampliſſimorum regnorum Madriti natus eſt 14. Apri-

Aprilis 1578. Patre Philippo II. Matre Annâ Auſtriacâ filiâ Maximiliani II. Cæſaris, primúsque inter Hiſpanos Principes, Sacramentum fidelitatis à regnis & ditionibus ſubjectis vivente adhuc Patre obtinuit: poſt cujus mortem tametſi nihil æquè, atque pacem, amaret; arma tamen aut in ſubditos refractarios, aut in Principes terris ſuis conterminos ac infeſtos expedire coactus eſt ſæpiùs: quibus & Oſtendanum fortalitium è manibus tumultuantium Flandrorum eripuit; & Hollandos à Malaccenſi in Indiis obſidione feliciter repulit; & Mauros omnes, quorum novies centena millia fuiſſe, hiſtorici ſcribunt, è ſuis regnis ejecit. In Africa Seriſo Africano Principi, adversùs rebellem fratrem Zidanum, claſſem in auxilium miſit, Lixámque (aliàs *l' Arache*) munitiſſimum præſidium ditionibus ibidem ſuis adjecit; turbatam Italiæ pacem reſtituit; hæreticorum Griſonum in Catholicos furorem repreſſit; rem Catholicam in Bohemia egregiè adjuvit; Ducatum Juliacenſem ſubegit; atque poſt ſtabilitam filio Monarchiam, regnáque omnia fidei Sacramentum eidem dicere compulſa, quadrageſimo tertio ætatis anno nondum expleto ad meliorem in cœlis coronam abiit anno 1621. Princeps religionis zelo ardentiſſimus, Divino cultui mirè addictus, ac conſcientiæ, præſertim integritatis ſtudioſus: qui quos ſub purpura animos gereret, cruenta, quibus in corpus ſuum ſævire Monarcha tantus conſuevit, flagella poſt mortem ejus in arcano ſcriniolo reperta teſtantur. Præfuit is ampliſſimo Velleris Aurei Sodalitio annis tribus ſupra viginti, & quam Equites Ordini huic, quos vellet, extra comitia adlegendi poteſtatem à ſede Romana Philippus II. ad ſuam unius perſonam reſtrictam acceperat, eandem Philippus hic III. plenam ſibi poſteríſque obtinuit. Qua etiam poteſtate ab eodem Aurei Velleris honore ſunt ornati ſequentes:

Albertus Archidux Auſtriæ.
Ludovicus Henriquez de Gabrera Dux Medinæ-Rio ſecco.
Ferdinandus Gonzaga Dux ab Arriano Dominus de Guaſtalba.
Joannes de la Cerda Dux Medinæ-Cœli.
Antonius Alvarez de Toledo & Biamonte Dux Albæ.
Carolus de Croy Dux de Arſchot, Princeps de Chimay.
Carolus Philippus de Croy Marchio d'Havré.
Philippus de Croy Comes de Solre, Dominus de Molembais.
Philippus Guilielmus de Naſſau Princeps Arauſicanus.
Lamoraldus Comes & Princeps de Ligne.
Carolus Comes ab Egmond Princeps Gavriæ.
Claudius de Vergy Comes de Champlitte.
Petrus Cajetanus Dux Sermonetta.
Sigismundus III. Rex Poloniæ.
Ranucius Farneſius Dux Parmenſis.
Didacus Henriquez de Guſman Comes de Alba.
Maximilianus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ.
Hermannus Comes de Berg, Marchio de Berges ſur le Zoom.
Carolus ab Aragonia Dux terræ novæ.
Ambroſius Spinola Marchio de Ceſte.
Cæſar ab Eſte Dux Mutinenſis.
Alexander Picus Princeps Mirandulanus.
Camillus Caraccioli Princeps Avellinus.
Matthæus de Capova Princeps de Conca.
Marcius Colonna Dux Zagarolla.
Ignatius ab Avalos-Aquino Marchio Piſcariæ & Guaſto.
Virginius Urſinus Dux Braccianus.
Ludovicus Caraffa de Marra Dux Sabionettæ.
Andreas Matthæus Aquaviva ab Aragonia Princeps Caſertæ.
Fabricius Branchifort-Vareſi & Santapau Princeps de Butera & Pietra perſia.
Antonius de Moncade & Arragonia Dux Montaltius.
Joannes Andreas Doria Princeps Amalphitanus.
Petrus Tellez Girone Dux Oſſunæ.
Joannes ab Arragonia Dux terræ novæ.
Alphonſus Didacus Lopez de Zuniga & Sotomajor Dux de Vejar.
Franciſcus Colonna Princeps Paleſtrinæ Dux de Baſſanello.
Rodericius Pontius de Leone Dux ab Arcos.
Franciſcus Gonzaga Princeps Caſtilionis.
Fridericus Landi Princeps de Valdetarro.
Georgius Ludovicus Landgravius de Leuchtenberg.
Paulus Sixtus Trauthſon Comes à Falckenſtein.
Philippus Austriacus Hispaniarum Infans

 Caro-

Carolus de Longueval Comes de Buquoy.
Fridericus Comes de Berg Baro de Boxmeer.
Carolus Emmanuel de Gorrevod Dux dePont-de Vaux.
Antonius de Lalain Comes ab Hoochſtrate.
Joannes de Croy Comes de Solre, Baro de Molembais.
Joannes Emmanuel Perez de Guſman Dux Medinæ-Sidoniæ.
Cleriadus de Vergy Comes de Champlitte.
Wolfgangus Guilielmus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ.
ULADISLAUS SIGISMUNDUS REX POLONIÆ ET SUECIÆ.
Carolus Philibertus ab Eſte Marchio ab Eſte.
Paulus Sangro Princeps de Sanſevero, Dux Turris Majoris.
Philippus Dux Arſchotanus, Comes ab Aremberg.
Carolus Alexander de Croy Marchio d' Havré.
Chriſtophorus de Rye de la Palu Marchio de Varambon Comes de Varax.
Uladislaus Comes de Fürſtemberg.
Joannes Comes Friſiæ Orientalis, & de Rietberg & Embden.
Chriſtophorus Comes Friſiæ Orientalis & Embden.
Joannes Udalricus Princeps ab Eggenberg.
Sdenco Adalbertus Poppel Princeps de Lobkovitz.
Joannes Georgius Princeps ab Hohenzollern.
*Cancellarius.* Antonius de Valle Proton. Apoſtol. elect. 1599.
*Theſaurarius.* Ludovicus Verreycken Dominus de Hamme & Sart. elect. 1611.
*Cui ſucceſſit.* Ludovicus Franciſcus Verreycken Baro de Bonlez & Geſves elect. 1620.
*Secretarius.* Antonius Bolle de Pintaflour elect. 1599.
*Rex Armorum.* Joannes Hervart Dominus de Zuderhove elect. 1612.

## §. VIII.

### *Philippus IV. Rex Hiſpan. octavus Ordinis Supremus.*

HUnc Principem filium Philippi III. & Margarittæ Auſtriacæ (Caroli Archiducis filiæ) mundo dedit annus Chriſti 1605. ſceptris verò Hiſpanicis, ac Supremo Ordinis Aurei Velleris Principatui, mors Patris ætatis anno ſexto ſupra decimum admovit; Principem quàm ætate tenerum, tam judicio maturum; qui fortunam primùm quidem faventem expertus, Regem Marochii erectæ ibidem ab Hiſpanis arcis præſidiariæ obſidionem ſolvere compulit; claſſem Hollandicam triginta navium, mercibus onuſtarum in poteſtatem redegit; eosdem Hollandos è Moluccenſibus Inſulis exterminavit; recèns in Hiſpania exortam *Illuminatorum* hæreſim, nonnullis eorum igni addictis, extinuit; Bredam oppidum in Brabantiæ finibus ſitum, quod inexpugnabile Hollandi crediderant, expugnavit. Inde turbis in Italia exortis nutare ita fortuna cæpit, ut modò Philippo, modò hoſtibus ſe ſecundam præberet: demum penitus deſciſcere viſa eſt; dum nimia regiorum miniſtrorum avaritia, auſteritas, & quidlibet pro ſuâ libidine agendi poteſtas Catalaunorum primùm, & mox Luſitaniæ totius animos ab Hiſpanica Dominatione ita avertit, ut facta conjuratione Ducem Brigantinum Luſitaniæ Regem unanimi voce populus univerſus proclamaret, eidémque ſeſe perpetuæ fidelitatis Sacramento obſtringeret: Orientalis quoque Indiæ parte magnâ, Braſiliâ, omnibúsque portubus maritimis in Africa (Ceutâ duntaxat fidem ſervante) eandem novi Regis fortunam ſequentibus. Qui tamen caſus magnanimum Principem haudquaquam dejecêre, quo minùs in Catalaunia, Luſitania, Regno Neapolitano, Belgio hoſtes iterum iterúmque reprimeret. Tandem verò pax cum Rege Galliæ facta conjugióque firmata eſt. Poſt quam obtento hærede Carolo obiit anno Chriſti 1665. ætatis ſuæ ſexageſimo, regiminis quadrageſimo quarto. Ordo Velleris Aurei id huic ſuo Supremo Capiti debet, quod & amictus ordinis, qui ſub Philippis prioribus jam propè videbatur abolitus, adhiberi rurſus ſub hoc Principe cæperit: privilegiis inſuper iis, qui amictum Ordinis geſtarent, conceſſis. Huic Regi ſuam in Ordinem adſcriptionem debent ſequentes:

Fran-

Franciſcus Didacus Lopez de Zuniga & Sotomayor Dux de Bejar.
Carolus de Lalain Comes ab Hoochſtrate.
Franciſcus Thomas ab Oyſelay Comes de Cantecroy.
Ludovicus de Velaſco Comes de Salazar Marchio de Belveder.
Guilielmus de Melun Princeps ab Eſpinoy.
Carolus Dux de Troppau Princeps de Liechtenſtein.
Leonardus Helfridus Comes de Meggau.
Carolus Auſtriacus Hiſpaniarum Infans.
Franciſcus Chriſtophorus Comes de Kevenhüller.
Philippus de Rubempre Comes de Vertain.
Alexander de Bournouville Comes ab Hennin-Lietard.
Ludovicus Comes ab Egmond Princeps Gavriæ.
Alexander Princeps de Chimay.
Honoratus Grimaldi Princeps à Monaco.
Paulus Savello Princeps de Albano Dux de Riccia.
Fabricius Caraffa Princeps de la Rochella.
Marinus Caraccioli Princeps ab Avellino.
FERDINANDUS I. IMPERATOR, REX HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ ARCHIDUX AUSTRIÆ.
Leopoldus Archidux Auſtriæ, Landgravius Alſatiæ, Comes Tyrolis.
Albertus Comes de Waldſtein Dux de Fridland, & Segan.
Joannes Comes de Naſſau & Catzenelenbogen.
Alphonſus Fernandez de Cordova & Figueroa Marchio de Priego.
Georgius Ludovicus Comes à Schwartzemberg.
Tiberius Vincentius Del Boſco Arragon Velaſquez, & Velleraul, Princeps Catholicæ, Dux de Muſelmeri.
Maximilianus Comes de S. Aldegunde.
Joannes de Montmorency Princeps de Robeque.
Maximilianus ab Hennin Comes de Boſſu.
Tiberius Caraffa Princeps de Biſignano, Dux S. Marci, Comes à Claromonte.
Rambaldus Comes de Collalto & San-ſalvatore.
Joannes Jacobus Comes de Pronckhorſt.
Erneſtus Comes ab Iſemburg.
Octavius Viſconti Comes de Gamalerio.
Ludovicus ab Arragonia - Cardona & Cordova, Dux Cardonæ & Segorbæ.
Albertus de Ligne Princeps de Barbançon, Comes d' Aigremont.
Otho Henricus Fugger Comes de Kirchberg.
Nicolaus Comes ab Eſterhaſi de Galantha Palatinus Hungariæ.
Philippus Spinola Marchio de Los Balbaſes.
Godefridus Henricus Comes de Pappenheim.
Adamus Comes de Waldſtein.
Joannes Baptiſta de Capova Princeps Caſpuli & Conca.
Paulus de Sangro Princeps de Sanſevero Dux turris Majoris.
Hector Ravachiero Princeps de Satriano.
Hercules Theodorus Trivulcius Princeps de Meſoco.
Maximilianus Princeps de Dietrichſtein.
Maximilianus Comes de Trautmansdorff.
Claudius de Lannoy Comes de la Motterie.
Balthaſar Carolus Auſtriacus Infans Hiſpaniæ.
Franciſcus ab Eſte Dux Mutinenſis & Rhegii.
JOANNES CASIMIRUS REX POLONIÆ.
Sigefridus Chriſtophorus Baro de Breuner.
Rudolphus Baro de Tieffenbach.
Guilielmus Marchio Badenſis.
Franciſcus Maria Caraffa Caſtriot & Gonzaga Dux Noceræ.
Carolus Toco Princeps de Montemileto.
Philippus Balthaſar de Gand dictus *Vilain* Princeps de Maſmines Comes ab Iſenghien.
Guilielmus Comes de Slawata, & Klun.
Wenceslaus Poppel Dux de Sagan Princeps de Lobkowitz.
Antonius Udalricus Princeps ab Eggenberg.
Henricus Slick Comes de Paſſau.
Octavius Piccolomineus ab Arragonia Dux Amalfitanus.
Franciſcus de Carretto Marchio de Grana.
Ferdinandus Carolus Archidux Auſtriæ Comes Tyrolis.
Philippus Franciſcus Dux ab Aremberg Arſchot & Croy Princeps de Porcean.
Sigismundus Ludovicus Comes de Dietrichſtein.
Eugenius de Hennin Comes de Poſſu.
Philippus Franciſcus de Croy Dux d' Havré.
Claudius Lamoraldus Princeps de Ligne Marchio de Roubaix.
Philippus de Croy Princeps de Chimay.
Euſtachius de Croy Comes de Rœux.
Georgius Adamus Borzita Comes de Martinitz.
Joannes Ludovicus Comes de Naſſau-Hadamar.
Joannes Alphonſus Pimentel de Quinnones Comes de Benevento.
Nicolaus Maria de Guſman & Caraffa Princeps de Stigliano Dux Sabionettæ.
Didacus Lopez Pacheco Dux Eſcalonæ.
FERDINANDUS IV. REX HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ.
Paulus Palſy Comes ab Ersleden Palatinus Hungariæ.
Joannes Weichardus Dux de Münſterberg Princeps ab Auerſperg.
Sigismundus Sfondrati Marchio de Montafié.

Carolus Albertus de Longueval Comes de Buquoy.
JoannesAdolphusComes de Schwartzenberg.
Ludovicus Raymundus ab Arragonia Folck de Cardonna & Cordova Dux Segorbæ, & Cardonæ.
Didacus ab Arragonia-Cortez & Fallajeia Dux terræ novæ.
Philippus Guilielmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ.
Joannes Franciſcus Trautſohn Comes de Falkenſtein.
Marcus Antonius Colonna Dux de Palliano.
Franciſcus Filomarinus Princeps de la Rocca.
Joannes Maximilianus Comes à Lamberg.
LEOPOLDUS I. IMPERATOR REX HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ ARCHIDUX AUSTRIÆ.
Ludovicus Ignatius Fernandez à Cordova Figueroa-Aquillar, Dux Feriæ Marchio à Priego.
Emmanuel Lopez de Zuniga & Sotomayor Dux de Bejar.
Joannes Ferdinandus Comes de Porzia & de Brugnera.
Bernardus Ignatius Borzita Comes de Martinitz.
Hannibal Marchio Gonzaga, Princeps S. R. I.
Joannes Chriſtophorus Comes de Puechaim.
Carolus ab Eſte Marchio de Borgomanero.
Nicolaus Ludovicus Princeps de Piombino, & de Salerne.
Philippus Emmanuel de Croy Comes de Solre Baro de Molembais.
Julius Savelli Princeps d' Albano & de Venafro.
Fabricius Pignatelli Dux de Monteleone.
Franciſcus Cajetanus Dux Sermonettæ.
Joannes Franciſcus Deſiderius Princeps de Naſſau-Siegen.
Joannes Baptiſta Borgheſe Princeps de Sulmone.
Franciſcus Comes Weſſelini de Hadad Palatinus Hungariæ.
Franciſcus Comes de Petting.
Joannes Joachimus Comes de Sintzendorf.
Joannes Comes de Rothal.
Sigismundus Franciſcus Archidux Auſtriæ, Comes Tyrolis.
Nicolaus ab Eſdrin Comes de Serini.
Gualterus Comes de Leslie.
*Cancellarius.* Robertus de Sceilder Protonot. Apoſt. & Canon. Cameracenſis elect. 1621.
*Huic ſucceſſit.* Joannes Ludovicus de la Loo Proton. Apoſt. & Canon. ad S. Gudilam Bruxellis elect. 1623.
*Quem ſecutus eſt.* Julius Chiffletius Abbas & Canon. Metrop. Veſontione elect. 1648.
*Theſaurarius.* Henricus Schotti elect. 1646.
*Huic ſucceſſit.* Jacobus Bruneau Vice-Comes de la Waſtine elect. 1649.
*Secretarius.* Mathias Roſmarin Sacellanus & Præfectus Oratorii Archid. Alberti el. 1621.
*Ei ſucceſſit.* Balthaſar Baro de Molinet Secretarius & Conſil. Supremi Conſilii Flandrici elect. 1646.
*Rex Armorum.* Joſephus Antonius Hervart Dominus de Zuderhove elect. 1635.
*Ejus Succeſſor fuit ejusdem filius.* Joannes Hervart elect. 1663.

## §. IX.

### *Carolus II. Rex Hiſpan. Nonus Equitum Aurei Velleris Supremus.*

ANnus 1661. Natalitius huic Principi extitit, quem ampliſſimo Hiſpaniarum regno, hæredem ſuſpiranti, Maria Anna Auſtriaca Leopoldi Cæſaris ſoror incredibili Philippi Patris gaudio peperit. Is quarto ætatis anno nondum expleto Rex factus ætatem minorem ſub tutela Reginæ Matris exegit, corpore adeò imbecilli, ut decennio toto vix pedibus conſiſtere poſſet. Octodecim deinde annos natus, ut aliquem ex ſe hæredem regno relinqueret, Mariam primùm Aloyſiam Philippi Aurelianenſium Ducis filiam; eâque mortuâ Electoris Palatini Philippi Wilhelmi filiam Mariam Annam conjugem duxit, è quibus tamen hærede nullo ſuſcepto, anno ſæculari 1700. obiit. Per hunc Regem in Ordinem Aurei Velleris aſſumpti ſunt:

Ferdinandus Bonaventura Comes ab Harrach.
Theodorus Trivultius Princeps de Meſoco.
Ferdinandus Joſephus Princeps de Dietrichſtein.
Raymundus Princeps à Montecuculi.
Joannes Hardwicus Comes de Noſtitz.
David Ungnad Comes de Weiſſenwolff.
Philippus Hyppolitus Spinola Comes de Brouay.
MICHAEL KORIBUT WISNIOVISKI REX POLONIÆ.
JoannesBaptiſta Ludoviſius Princeps de Piombino.

Lauren-

Laurentius Colonna Dux Palliano Comes ſtabilis Regni Neapolitani.
Julius Cæſar Colonna Princeps à Carbognano.
Maffæus Barberini Princeps Paleſtrinæ Dux Noceræ.
David Ungnad Comes de Weiſſenwolff.
Philippus Ludovicus Comes ab Egmond, Princeps Gavriæ.
Ferdinandus Franciſcus de Croy Dux d'Havré, & de Croy.
Ludovicus de Beaufremont, Marchio de Meſſimieux.
Joannes Carolus de Batteville Marchio de Conflans.
Fabricius Caraffa Dux Andriæ.
Didacus ab Arragonia Dux terræ novæ.
Theobaldus Marchio Viſconti.
Joannes de la Cerda-Ribera-Portocarero Dux Medinæ cœli.
Petrus Nunez Colomb-Portugal I. Dux de Veraguas & de la Vega.
Petrus Nunez Colomb-Portugal II. Dux de Veraguas.
Joannes de Velaſco Comes de Salazar.
Alexander Princeps de Bournonville.
Albertus Franciſcus à Croy, Comes de Meghen.
N - - de Berghes Comes de Grimberghes.
Alphonſus de Avalos-Aquino Marchio Piſcariæ.
N - - Comes de Dietrichſtein.
Carolus IV. Dux Lotharingiæ.
Alexander Farneſius Dux Parmenſis.
N - - Princeps Cariati.
Erneſtus Dux ab Aremberg Princeps de Chimay.
Hector Pignatelli Princeps à Monteleone.
Antonius à Toledo Dux Albæ.
Albertus Comes de Sinzendorf.
Antonius Trotti.
Leopoldus Ignatius Comes Königseck.
Carolus Henricus de Lotharingia Comes à Vaudemont.
Joannes Hubertus Comes Czernini.
Carolus Ferdinandus Comes à Waldſtein.
Eugenius de Montmorency Princeps de Robeque.
Otho Henricus de Caretto Marchio de Grana.
Carolus Borromæus Comes ab Arona.
Fridericus Sforzia.
Carolus de Guevarra-Arragoni-Borgia Dux Villæ hermoſæ.
Carolus Eugenius Princeps ab Aremberg Dux ab Arſchot.
Cæſar Viſconti Marchio Ciſlagi.
Nicolaus Pignatelli Dux de Monteleone.
Sigiſmundus Helfridus Comes de Dietrichſtein.
N - - Princeps de Pietra percica.
Paulus Eſterhazi de Galantha Palatinus Hungariæ.
Joannes Erneſtus Dux ab Holſtein-Ploën.
Octavius Ignatius Dux ab Aremberg Princeps de Barbançon.
Erneſtus Rudigerus Comes de Starhemberg.
Franciſcus Caraffa Princeps de Belvedere.
Henricus Erneſtus Princeps de Ligne.
Philippus Carolus Dux ab Aremberg & Arſchot.
Henricus Franciſcus Comes de Mansfeld.
Joannes Guilielmus Elector Palatinus.
Joannes Emmanuel de Zuniga Dux de Bejara.
JOSEPHUS I. IMPERATOR REX HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ ARCHIDUX AUSTRIÆ.
Eugenius Princeps à Sabaudia.
Antonius Caraffa.
Helmhardus Chriſtophorus Ungnad Comes de Weiſſenwolff.
Adolphus Uratislaus Comes de Sternberg.
Dominicus Andreas Comes de Kaunitz.
Wolfgangus Comes ab Oetingen.
Theophilus Comes de Windisgräz.
Ludovicus Comes ab Egmond.
Ferdinandus Gaſton Lamaraldus de Croy, Comes de Roeux.
Eugenius Ludovicus de Berg Princeps de Rach.
Eugenius Alexander Princeps de la Tour & Taſſis.
Urbanus Barberini Princeps Paleſtrinæ.
Ignatius Velez-Ladron de Guevarra Comes d'Onnate.
Joannes Emmanuel Pacheco Dux Eſcalonæ Marchio de Villena.
Jacobus Franciſcus Victor Sarmiento à Sylva Dux de Hyar.
Emmanuel à Cordova & Figueroa Marchio de Priego.
Cæſar Marchio Vidoni.
Franciſcus Marquardus Comes de Wartenberg.
Ferdinandus Guilielmus Princeps à Schwarzenberg.
Franciſcus Udalricus Comes de Khinski.
Joannes Quintinus Comes Jörger.
Franciſcus Carolus Liebſteinski Comes de Kolowrat.
Philippus Colonna Dux de Palliano.
Jacobus Sobieski Princeps Poloniæ.
N - - de Caſtro-Portugal Comes de Lemos.
Maximilianus Emmanuel Elector Dux Bavariæ.
Leopoldus Dux Lotharingiæ.
Ludovicus Guilielmus Princeps Badenſis.
Rodericus Sylva-Mendoza Guſman Dux de Paſtrane & de l'Infantado.

Franciſcus Joſephus Comes de Lamberg.
Philippus Sigismundus Comes de Dietrichſtein.
Joannes Adamus Andreas Princeps de Liechtenſtein.
Chriſtophorus Leopoldus Comes de Schafgotſch.
Joannes Philippus Eugenius de Merode Marchio de Weſterloo.
Carolus Ludovicus Hennin Princeps de Chimay Comes de Poſſu.
Philippus Franciſcus Princeps de Berghes.
Æneas Comes Caprara.
Franciſcus Maria Caraccioli Princeps ab Avellino.
Balthaſar Naſelli Princeps ab Arragonia.
Marius Matthæi Dux à Paganica.
Joannes Chriſtianus Princeps ab Eggenberg.
Otho Henricus Comes ab Abensberg & Traun.
Wenceslaus Ferdinandus Poppel Comes de Lobkowitz.
Carolus Philippus Comes Palatinus.
N - - Ramirez de Avellano Comes ab Aquillar.
Ludovicus Thomas Raymundus Comes ab Harrach.
CAROLUS VI. IMPERATOR REX HISPANIÆ HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ ARCHIDUX AUSTRIÆ.
Joannes Sigefridus Princeps ab Eggenberg.
Georgius Princeps ab Haſſia - Darmſtad.
Antonius Florianus Princeps de Liechtenſtein.
Leopoldus Philippus Princeps Montecuculi.
Georgius Adamus Borzita Comes à Martinitz.
Maximilianus Comes de Dhaun.
Joannes Franciſcus Comes de Wrmb & de Freidental.
Sigefridus Chriſtophorus Comes de Breüner.
Ferdinandus Auguſtus Poppel Princeps de Lobkowitz.
Octavius Marchio Capriani.
Carolus Erneſtus Comes de Waldſtein.
Joannes Leopoldus Comes Trautſohn.
Leopoldus Ignatius Princeps de Dietrichſtein.
Coſmus Claudius ab Ognies Comes de Coupigny.
Wenceslaus Albertus Comes de Sternberg.
Henricus de Melun Marchio de Richebourg.
N - - Bateville Marchio de Conflans.
Dominicus Aquaviva Comes de Converſano.
Leopoldus Joſephus Comes de Lamberg.
Michaël Angelus S. R. I. Princeps & Dux del Vaſto de Avalos - Aquino Marchio Piſcariæ.
Leopoldus Dux de Aremberg & de Arſchot.
Philippus Antonius Princeps de Rubempré.
Leopoldus Mathias Princeps de Lamberg.
Fridericus Erneſtus Comes de Windisgrätz.
Carolus Archinto.
Carolus Thomas à Lotharingia Princeps de Vaudemont.
*Cancellarius.* N. Chiffletius.
*Secretarius.* Julianus Balthaſar Baro de Molinet elect. 1673.
*Quem ſecutus eſt.* Adrianus de Molinet annus electionis non conſtat.
*Rex Armorum.* N. Munnos Nepos Joſephi Antonii Hervart.
Cujus in minoribus adhuc annis conſtituti loco munus id obiit: Carolus de Malboan Burgundus.

*Atque hunc ego Equitum Ordinem ex Supplemento magni Dictionarii Ludovici Moreri, ut in Præfatione ad Lectorem monueram, deſumpſi, Miniſtrorum nominibus ex libro cui titulus:* La Toiſon D'or *in hunc locum tranſcriptis.*

## §. X.

### *Carolus VI. Imperator, & decimus Ordinis Aurei Velleris Supremus.*

CAROLUM Leopoldo Magno Eleonora Magdalena Thereſia peperit anno Chriſti 1685. Calendis Octobris, ſpem alteram Auguſtiſſimæ domûs. Cui ipſa naſcendi conditio coronam triplicem Hiſpaniæ, Hungariæ & Bohemiæ detulit, virtutes verò domeſticæ fortunâ quavis ſuperiores ad Supremum Imperatoriæ Majeſtatis faſtigium Francofurti anno 1711. ſummo Principum Electorum conſenſu evexêre. Ubi inter ipſa inaugurationis ſolemnia conſiſtenti ad aras Cæſari elapſus è vagina, quo ſuccinctus tum erat, Magni Caroli enſis haud vanum obtinendarum à CAROLO victoriarum omen circumſtantibus dedit. Et verò non multò pôſt Veneti (dum vaſtata Peloponeſo alias atque alias eorum terras hoſtis barbarus occupat, Corcyræque & cæteris omnibus Reipublicæ ditionibus




F. A. Dietell Sculp:

bus diſcrimen idem minatur) fiduciâ in humanitate, potentiâ, religionéque Cæſaris collocatâ ab eo opem adversùs communem hoſtem implorant; neque defuit juſtis precibus Cæſar; verùm, ut ne quid detrimenti res Chriſtiana acciperet, maturè proſpiciens, magnos continuò haberi delectus militum imperat; ingentes armorum apparatus fieri, claſsémque in Danubio inſtrui præcipit; ac poſtremùm *Eugenio*, imò *Chriſto Duce* (cujus Crucifixi ſimulacrum ituro in expeditionem Eugenio Cæſar dederat, eóque Duce pugnam capeſſere & vincere juſſerat) ad ipſa propè Petrovaradini mænia, pugnâ cum hoſtili ducentorum millium exercitu commiſsâ inſignem victoriam, cæſis triginta hoſtium millibus, retulit. Inde præter complura minoris nominis oppida Temeswarinum, deditione ab hoſte factâ, obtinuit. Mox Taurunum dum obſidet, munitiſſima immenſi exercitûs Turcici, qui ad obſidionem ſolvendam advenerat, caſtra perruptis vallis expugnat, cæſóque hoſtilis militiæ robore, cæteríſque in fugam verſis, refertis grandi opulentiâ caſtris potitur. Quam victoriam ipſa continuò Tauruni deditio ſecuta, eóque bello ingens barbaris terrarum tractus ademptus eſt. Nec minor ex Italico bello relata eſt gloria, Siciliâ omni in manus Cæſaris conſignatâ. Atque ita geminum bellum Turcicum Siculúmque quadriennio à CAROLO glorioſè confectum eſt, quod ut ne rurſum in Chriſtianæ præſertim rei excidium exardeſcere poſſet, validiſſima fortalitia adversùs communem hoſtem in Hungariæ Serviæque regnis excitare aggreſſus eſt, ut tanto eſſet diuturnior pacis fructus, quantò longiùs à ſubditorum cervicibus barbarorum arma hujusmodi præſidiorum objectu ſubmoventur. Inde ad pacis ſtudia converſus Oſtendanam mercatorum ſocietatem inſtituit; vias usque ad itinerantium delicias reparari fecit; Magnificam illam Divo Carolo Borromæo Dicati templi molem excitavit; vaſtiſſimum ac Authore Cæſare digniſſimum opus, Auguſtam nempe Bibliothecam, aut veriùs dixerim Muſarum atque Palladis regiam, è fundamentis exſtruxit; tranquillam inter præcipuos Europæ Principes animorum conſenſionem quà legationibus magnificis, quà mutuis fæderibus, quà nuptialibus vinculis, quà modis aliis ſtabilire adlaboravit; nihílque omnium, quod non ſolùm Sapientiſſimi Principis ſed & ſoliciti Patris eſt, prætermiſit. Ejus exquiſita regnandi peritia belli pacíſque artibus ad communem amicorum æquè ac hoſtium admirationem exculta, incredibile boni publici ſtudium, rei Chriſtianæ propugnandæ & propagandæ ardor mirificus, æquitatis juſtitiæque tuendæ cura ſingularis, incomparabilis in DEUM Superóſque religio, quotidianis quà privatis quà publicis Divini cultûs exemplis conteſtata; mens auguſta & ampla, atque in id unum, quod virtus ſuadet, intenta; cæteráque decora tanto Cæſare digna in omnium oculis verſantur quotidie, atque ut verſentur diu, communibus boni omnes votis ſuſpiriíſque precamur.

Præeſt Is ampliſſimo huic Aurei Velleris Ordini tertio ab exceſſu Caroli ſecundi Hiſpaniarum Regis anno, quo ſcilicet Leopoldus I. Imperator devoluta in ſe Regnorum Hiſpanicorum Ditionúmque iis adnexarum jura, annuente Joſepho I. Romanorum Rege, in Eundem præſente Procerum Legatorúmque coronâ in aula Vienneſi tranſcripſit. Atque ubi primùm per bella licuit, ornandæ huic nobiliſſimæ Sodalitati intentus, non modò lectiſſimum illi heroum florem adlegit, ſed & priſtinum amictûs Magnifici, feſtorum, comitiorum, cerimoniarúmque uſum revocavit, priſtinámque inſtituto tam celebri dignitatem Majeſtatémque Augustissimus Instaurator reſtituit. A quo in Auguſtum hoc Sodalitium adlecti hactenus ſunt ſequentes:



Reinal-

Reinaldus Dux Mutinæ.
Vincentius Gonzaga, Dux de Guaſtalla.
Emmanuel Princeps Sabaudiæ & Pedemontii.
Philippus Ludovicus Comes de Sinzendorff.
Wenceslaus Norbertus Comes de Khinsky.
Carolus Maximilianus Comes de Thurri & Valleſaxina.
Gundakarus Thomas Comes de Starhemberg.
Carolus Joſephus Comes de Paar.
Rudolphus Sigismundus Comes de Sinzendorff.
Michaël Joannes Comes ab Althan.
Ferdinandus de Sylva Comes de Ciſuentes Marchio d'Alconchel.
Adamus Franciſcus Princeps de Schwarzenberg.
Nicolaus Comes Palfy Palatinus Regni Hungariæ.
Norbertus Comes de Kolovrath.
Vincentius Comes ab Oropeſa.
Wirricus Laurentius Comes à Dhaun, Princeps de Thiano.
Joſephus Leopoldus Princeps de Biſſignano.
Franciſcus de Blanes Comes de Centellas.
Joannes Baptiſta Comes de Colloredo.
Paulus de Sangro Princeps de San Severo.
Carolus Albertus Elector, & utriusque Bavariæ ac Superioris Palatinatûs Dux.
FRIDERICUS AUGUSTUS REX POLONIÆ, Dux SAXONIÆ ELECTOR.
Fridericus Auguſtus Regius Poloniæ & Electoralis Saxoniæ Princeps.
Emmanuel Luſitaniæ Infans.
Maximilianus Princeps Brunsvico-Luneburgicus.
Leopoldus Hæreditarius Lotharingiæ Princeps.
Joſephus Comes Palatinus Hæreditarius Sultzbachii Princeps.
Ferdinandus Maria utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatûs Dux.
Leopoldus Princeps Holſato-Schleswicenſis.
Alexander Princeps de Würtemberg.
Joſephus Folch Princeps de Cardona.
Maximilianus Guidobaldus Comes de Martiniz.
Leopoldus Comes de Herberſtein.
Philippus Franciſcus Princeps de Rubempré.
Fabritius Comeſtabilis de Colonna.
Leopoldus Comes de Schlik.
Sigismundus Fridericus Comes Khevenhüller.
Claudius Princeps de Ligné.
Frobenius Ferdinandus Princeps de Fürſtenberg.
Joannes Joſephus Comes de Wrttby.
Emmanuel de Sylva-Mendoza Comes de Galbes.
Julius Marchio Viſconti Borromeo Areſe.
Joſephus Princeps de Liechtenſtein.
Franciſcus Marinus Maria Carraciolus Princeps d'Avellino.
Joannes Antonius Comes de Zavallá.
Alphonſus Princeps de Cardenas Comes della Cherra.
Franciſcus Stephanus Hæreditarius Lotharingiæ Princeps.
*Cancellarius & Secretarius* Joannes Theodorus L. B. de Imbſen Arcanorum S. C. M. Secretarius, & Secretioris Cancellariæ Aulicæ Conſiliarius, atque Auguſtiſſimæ Imperatricis Regnantis Secretarius Intimus.
*Theſaurarius* Claudius Franciſcus de Humyn, Vice-Comes de S. Alberto.
*Rex armorum* Joannes Baptiſta ab Iſendik. Privatus Cæſareus Cameræ Quæſtor.

---

## Errata ſic corrige.

Pap. 15. lin. 9. Proavo *lege* Abavo. pag. 16. lin. 28. Avo *lege* Proavo. Ibidem lin. 32. Avum *lege* Proavum, pag. 88. lin. 14. Unum ſupra vicenos *lege* duos ſupra vicenos: Addendus quippe ibidem lin. 24. poſt recenſitos cæteros Poloniæ Reges huic inclyto Ordini adſcriptos, FRIDERICUS AUGUSTUS an. 1722. cujus Sereniſſimi Regis in hunc Ordinem adlectio ſeriùs paulò, quàm oportebat, innotuit.

Index

# Index Capitum & Titulorum.


Caput I. §. 1. *Unde Equitum nomen? quæ dignitas, muniáque Equeſtris olim Ordinis fuerint* pag. 1

§. 2. *Quæ auratorum Equitum Origo ac exiſtimatio fuerit, & quis olim ritus in eorum ſit creatione adhibitus* 4

§. 3. *Quæ Equeſtres nobilium virorum Ordines inſtituendi cauſæ extiterint, & quo tempore varii, ex his, Ordines conditi ſint* 9

Cap. II. §. 1. *De Authore, tempore & loco inſtituti Ordinis Aurei Velleris* 11

§. 2. *Unde celebris illa Aurei Velleris appellatio ſit deſumpta* 14

Cap. III. §. 1. *Quænam hunc Ordinem inſtituendi cauſæ extiterint, & de requiſitis Equitum qualitatibus* 17

§. 2. *De Equitum & miniſtrorum numero* 20

Cap. IV. §. 1. (per errorem omiſſus) *continet Equeſtris pallii, interioris tunicæ & torquis aurei deſcriptionem* 24

§. 2. *Quando Torques aureus geſtari ab Equitibus debeat; & quod idem Torques gentilitiis Equitum inſignibus adjungatur* 29

§. 3. *Quid per aureum Vellus colchicum ſignificârit antiquitas* 31

Cap. V. §. 1. *Inſtitutionis Diploma & primæ Ordinis hujus Conſtitutiones à Philippo Bono conditæ* 34

§. 2. *Addita & immutata in Conſtitutionibus modò dictis* 46

§. 3. *Conſtitutiones & Regulæ Miniſtris Ordinis à Philippo Bono præſcriptæ* 51

Cap. VI. §. 1. *De Magnificis ſacrorum ſolemniis primo olim Comitiorum triduo celebratis* 54

§. 2. *Sacrorum Ordinis ſolemnium Viennæ Auſtriæ ſub Auguſtiſſimo Cæſare Ordiníſque Supremo Carolo VI. inſtitutorum deſcriptio* 60

Cap. VII. §. 1. *De iis rebus, quæ ante ipſa Generalia Ordinis Comitia pertractari ſolebant* 65

§. 2. *De Correctione Equitum & Eorundem ejectione* 66

§. 3. *De Equitum electione olim fieri ſolita, & de negotiis, quæ in Comitiis Ordinis tractabantur* 68

§. 4. *Quid obſervatum ſit olim, ſi quando novum quendam Supremum Ordo obtinuiſſet* 71

§. 5. *De Numero loco & tempore Generalium Comitiorum* 74

Cap. VIII. §. 1. *Sodalitii hujus Equites à ſolis hodie Ordinis Supremis creari* 76

§. 2. *Ceremoniarum à ſacratiſſima Cæſarea Regiáque Catholica Majeſtate Carolo VI. Ordinis Supremo in creatione Aurei Velleris Equitum obſervatarum deſcriptio* 78

§. 3. *Ceremoniarum ab Auguſtiſſimo Cæſare Leopoldo I. dum delegata authoritate ejuſdem Ordinis torquem conferret, adhibitarum relatio* 82

Cap. IX. §. 1. *Privilegia & immunitates Ordinis hujus Equitibus conceſſæ* 85

§. 2. *Aliæ quædam hujus Ordinis prærogativæ & decora* 88

Cap. X. *Cum decem ſubjectis Paragraphis totidem* Supremos Ordinis *cum Equitibus ab iiſdem in hunc Ordinem aſſumptis exhibet* 91 *& ſeqq.*

# CONCLUSIONES
*EX*
# UNIVERSA PHILOSOPHIA.

1. Logica eſt ſcientia purè practica.
2. Ejus objectum attributionis eſt demonſtratio.
3. Identitas conſiſtit in affirmabilitate.
4. Diſtinctio in negabilitate.
5. Implicat diſtinctio Scotiſtica.
6. Virtualis intrinſeca.
7. Præciſiones objectivæ.
8. Univerſale Metaphyſicum habetur per intellectum.
9. Logicum manet in actuali prædicatione de ſingulari.
10. Relatio conſiſtit tantùm in ratione fundandi adæquata.
11. Propoſitio, ſi duret, poteſt de vera tranſire in falſam.
12. De futuris contingentibus eſt determinatè vera vel falſa.
13. In eodem intellectu poſſunt componi ſcientia & opinio.
14. Non tamen eſſe unus indiviſibilis actus.
15. De principiis corporum tenenda eſt ſententia peripateticorum.
16. Hinc datur materia prima.
17. Quæ pluribus formis ſubſtantialibus ſimul informari poteſt.
18. Unio eſt entitas modalis.
19. Poſſibilis eſt unio ad unionem.
20. Compoſitum à materia, forma, & unione non diſtinguitur.
21. Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud.
22. Eſſentialiter connectitur cum poſſibilitate ſui effectûs.
23. Nequit agere phyſicè non exiſtens.
24. Non repugnat duplex actio totalis reſpectu ejusdem effectûs.
25. Secus actio ſui ipſius quoad ſecundum eſſe.
26. Cauſa prima poteſt elevare ſecundas ad creandum.
27. Ubicatio indiviſibilis poſſibilis eſt.
28. Secus duratio indiviſibilis.
29. Res replicata non plus poteſt, quàm non replicata.
30. Infinitum categorematicum creatum poſſibile eſt.
31. Secus Creatura perfectiſſima.
32. Continuum omne conſtat partibus formaliter diviſibilibus infinitis.
33. Mundus potuit eſſe ab æterno.
34. Sol eſt formaliter igneus.
35. Activè movetur ab intrinſeco.
36. Raritas non habetur formaliter per intromiſſionem corpuſculorum.
37. Sed per majorem ubicationem.
38. Intenſio fit per additionem gradûs ad gradum.
39. Qui ſunt homogenei.
40. Elementa virtualiter manent in mixtis.
41. Gravitant, & levitant in locis propriis.
42. In puncto reverſionis non datur quies.
43. Anima eſt actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis.
44. In vivente non datur animarum ſucceſſio.
45. Nec in eodem vivente plures animæ.
46. Neque formæ partiales.
47. Anima hominis eſt immortalis.
48. Ens præſcindit à differentiis, & viciſſim.
49. Poſſibilitas rerum eſt ipſis intrinſeca.
50. Exiſtentia Dei eſt demonſtrabilis.

## Errata ſic corrige.

Pag 15. lin. 9. Proavo *lege* Abavo. Pag. 16. lin 28. Avo *lege* Proavo. Ibidem lin. 32. Avum *lege* Proavum. Pag. 76. lin. 31. Gregorius Papa X. *lege* Gregorius Papa XIII. Pag. 88. lin. 14. unum ſupra vicenos *lege* duos ſupra vicenos. Ibid. poſt lin. 15. poſt Henricum VII. ſubnecte Henricum VIII. & Reges Galliæ Franciſcum I. & II. & *lege* ſic: Henricus VII. an. Henricus VIII. an. Reges Galliæ tres; Franciſcus I. an. 1516. Franciſcus II. an. 1559. Ibidem lin. 24. poſt recenſitos cæteros Poloniæ Reges huic inclyto Ordini adſcriptos adde: FRIDERICUS AUGUSTUS an. 1722. cujus Sereniſſimi Regis in Ordinem adlectio ſeriùs paulò, quàm oportebat, innotuit. Pag. 107. lin. 26. Ferdinandus I. Imp. *lege* Ferdinandus III. Imp.